




TITI FLAVII CLEMENTIS
VIRI CONSULARIS,
ET MARTYRIS TUMULUS
Illuſtratus.



URBINI.
TYPIS Ven. Capellæ Sanctiſſimi SACRAMENTI,
Per Antonium Fantauzzi.
MDCCXXVII.

PRÆSIDUM PERMISSU.



TITI FLAVII CLEMENTIS *Viri Consularis, & MARTYRIS*

Tumulus illustratus.



EMINENTISSIMUS ANNIBAL ALBANUS Tituli S. Clementis S. R. E. Presbyter Cardinalis & Camerarius, non tantùm eruditione singulari, ac bonarum litterarum amore, sed præsertim religione, pietate, & rerum sacrarum studio S.M.CLEMENTI XI. Pontifici O. M. simillimus, tantoque Patruo dignissimus, die XXII. Januarii anni MDCCXXV. accessit ad suam illam S. Clementis Papæ & Martyris Basilicam, Romæ in Cælio Monte, atque adeo in Regione Cælimontana sitam,

 quam


quam alii [a] ſecundam, alii [b] tertiam Urbis regionem faciunt. Optimi Principis conſilium erat S. Ignatii Antiocheni Epiſcopi, & Martyris oſſium partem, quæ ſub Altari Majori recondita eſſe credebatur, eruere, & argenteis thecis, quàm fieri poſſet, elegantiſſimè & magnificentiſſimè incluſam, Fidelium publicæ venerationi proponere. Quare Altare Majus ſubrui, egeri terram, & locum totum aperiri jubet. Verùm nihil tum quidem ibi repertum eſt præter capſulam plumbeam, quâ oſſa aliquot, & oſſium fragmenta continebantur; cineres præterea ſacro cruore concreti, vas vitreum effractum, urceus fictilis, Crux gemina, altera lignea, altera ærea, & imago cerea duplex, quæ agni formam utrinque referebat. Capſulæ impoſita erat tabula marmorea, quæ ex altera pagina litteras habebat tribus verſibus digeſtas ad eam planè formam, quâ illas incidi curavimus.

FAVS · CELMMR
HCF LICTETV
LEO · I · DOCT · X I3 CO · VI · ASP · EG

In

(a) *Vid. lib. Phil. Rondinini de S. Clemente Papa, & Martyre, ejuſque Baſilica l. 2. c. 2. p. 215.*
(b) *Vid. Illuſtriſſimum Joan. Vignolium ad librum Pontif. p. 13.*

In altera verò ejuſdem tabulæ pagina tria erant, prout hic exhibemus, monogrammata.



Illam inſcriptionem illuſtrandam ſuſcepi, ut Eminentiſſimi Cardinalis, & obſequerer ſtudio, & voluntati parerem. 1. Dicam quomodo legi debeat hæc inſcriptio. 2. proponam conjecturas de tempore, quo poſita fuiſſe videtur in eo, in quo reperta eſt, loco. 3. declarabo quis ſit ille Flavius Clemens, cujus memoriæ dicata eſt.

I.

QUOMODO LEGENDA SIT HÆC INSCRIPTIO.

PArtis adverſæ lineæ duæ priores ſic omnino legendæ ſunt: *Flavius Clemens Martyr hic feliciter eſt tumulatus*. Tertia linea facilius eſt dicere quomodo non ſit legenda, quàm quomodo legenda ſit. Et quia minutiori charactere ſcripta eſt, erit fortaſſe qui ſuſpicetur alio tempore ſcriptam eam eſſe, præſertim cùm & litterarum forma nonnihil diverſa ſit, verbi gratiâ E in linea tertia, Є in prioribus lineis duabus; & litterarum nexus, & implica-

tiones

tiones multæ ſint in prioribus lineis, in tertia nullæ. Verùm ego ne id quidem affirmo, & omnino malo ingenuè fateri neſcire me quod neſcio, quàm vel quidquam affirmare temere, vel in rebus ejuſmodi nimiùm divinare. Suus enim eſſe debet non tantùm in affirmando, quod non certò ſcias, ſed etiam in conjectando modus. Atque *utinam*, ut ajebat ille [c] *tam facilé vera invenire poſſim, quàm falſa convincere*.

Certè non crediderim hìc commemorari *S. Leonem* Romanum Pontificem hujus nominis *primum*, atque Eccleſiæ *Doctorem*, & Sixtum aut *Xiſtum* ſeu *Xyſtum* Martyrem, *Sextum Apoſtolicæ Pontificem* ECcleſiæ. Primùm enim Sixtus & appellari ante Leonem debuit, & VIII, certè non VI. dici Apoſtolicæ Eccleſiæ Pontifex, ſeu Paſtor. Deinde S. Leoni Magno & *Leonis Primi, & Doctoris* nullâ aliâ voce additâ, appellatio tribui non niſi ſerò potuit, cùm Romanus Pontifex Bonifacius VIII ipſo ſæculi XIII fine [d] in decretali Anagniæ data XII Kal. Octob. anno Pontificatûs ſui primo, Chriſti MCCLXXXXV. nominet tantùm quatuor Eccleſiæ, ſcilicet Latinæ, Doctores egregios, SS. Auguſtinum, Ambroſium, Hieronymum, & Gregorium, quorum feſtos dies officio, ut ajunt, duplici celebrari præcipit. *Eccleſiæ Doctores*, *Eccleſiarum Magiſtri* multi vocati ſunt, atque ipſe S. Leo, ſi tamen auctor eſt operis *de vocatione omnium gentium*, a Gelaſio I. Romano Pontifice vocatur [e] *Magiſter Eccleſiæ*, & in Concilio quinto [f] inter *Sanctos Patres, & Doctores Eccleſiæ*, cum aliis multis numeratur; ſed S. Leo

---

(c) *Cic. de nat. D. l. 1.*

[d] *Vid. Od. Rayn. ad ann. 1295. n: 55. & Decret. c. un. de Rel. & vener. SS. in VI.*

[e] *Tract. 3. inter Concil. Labb. tom. 4. p. 1249. D. quo loco perperam ad marginem appoſitus eſt Auguſtinus pro auctore libri de vocatione omnium gentium, cujus verba refert Gelaſius.*

(f) *Conc. V. Collat. 3. edit. Hard. tom. 3. p. 71. A & Labb. tom. 5. p. 435. B.*

Leo vel *Doctor* nullâ voce aliâ additâ, vel etiam *Doctor Chriſtianitatis* quando dici potuerit non video. Præterea nota CD valde dubito ſitne accipienda pro littera M, quæ vergentibus in barbariem Gothicam ſæculis ſic efformabatur CO; poſſet etiam accipi pro CO aut CD. Denique ille verborum ordo, *Apoſtolicæ Pontifex* ſeu *Paſtor Eccleſiæ*, cujus temporis eſſe potuerit non aſſequor.

Vir harum rerum æſtimator peritiſſimus, ad quem ea de re ſcripſeram, ſuſpicabatur laminam marmoream S. Leonis Romani Pontificis hoc nomine primi temporibus repertam cum duabus prioribus lineis longè antea ſcriptis, additamque tum fuiſſe tertiam, quâ indicaretur LEO I^{us} DOCT*or* X*r*IST*ianitatis* A*nno* CDXL AS*ſumptus* P*ontifex* EC*cleſiæ*. Sed quoniam præter cetera, quæ poſſent opponi, non XL. ut ille ſuſpicabatur, ſed VI. manifeſtè legitur, ingenium & interpretandi ſolertia laudari debet, ipſa interpretatio pro vera ſuſcipi non poteſt.

Singula conjicendo percurrere non vacat. Sed XI Ʒ de Chriſto, aut Chriſtiano malim interpretari, quàm de Xiſto. Nam & in libris græcis manu exaratis, & in nummis poſteriorum Imperatorum Græcorum,(g) imò & Ducum Venetorum ſæpe legitur IC̄ XC̄ pro IHCOYC XPICTOC. In aliis, quos ab eruditiſſimo Bandurio non fuiſſe obſervatos arbitror, ſcribitur ex una parte IC̄ XC̄, ex altera IS̄ XS̄. Nummus æreus ſecundæ formæ in muſæo noſtro habet Chriſti ſedentis protomen, dextrâ elatâ benedicentis ritu, & ſin. tenentis Evangeliorum librum, IC̄ XC̄. pars averſa has litteras habet: (h) IS̄ XS̄ BASIL BASILE.

Jeſus

(g) *Vid. Banduri tom.2. p.712. in Michaele Rhangabe. p.738. in Joanne Zimiſca &c. Et ad calcem hujus §. pag.20. n.10. 12.* [h] *Pag.20. n.15.*

Jesus Christus Rex Regum. Quid quod & latinè in *libris antiquis sic per abbreviaturam, ut loquimur, repræsentatur secundùm diversos casus, XPS, XPI, XPO, XPM,* ut advertit Matthias Martinius [i]; & vulgo scribimus PAX XI pro *pax Christi*.

Dum hæc prælo mandarentur, Vir Illustrissimus Franciscus Mariani Bibliothecæ Vaticanæ Scriptor & Basilicæ Vaticanæ addictus, suas de tertia illa linea conjecturas obtulit Eminentiss. Cardinali Camerario, quas ego libenter hoc loco subjiciam, ut quoniam nihil ipse comminisci potui, quod vel mihi probaretur, saltem lectoribus proponam, quæ alii peritiores adinvenere, & quæ possint vel probari viris eruditis, vel eorum certè ad melius aliquid excogitandum industriam acuere. Non credit ille vir subacto ingenio, & in antiquarum inscriptionum ænigmatibus dissolvendis exercitato, harum litterarum sensum esse, LEO I^us^ DOCT*or.* XIST*us* M*artyr* VI^us^ A *Sancto* P*etro* EC*clesiæ rector*, tum quia S. Sixtum Martyrem sextum à S. Petro Ecclesiam rexisse nullâ ratione dici potest, neque satis probabiliter error ejusmodi in quadratarium refundi; tum quia hinc videretur effici, illâ capsulâ contineri ossa non tantùm FLAVII CLEMENTIS Martyris, sed etiam Romanorum Pontificum Leonis, & Sixti, seu Xisti, quorum tamen sacras reliquias constat in Basilica Vaticana conditas esse. Igitur probabilius omnino statuit sic explicari hæc posse: LEO I^us^ DOCT*or* XIS*ti*, seu *Christi* C*oncilium* VI^um^ A*uctoritate Sancti* P*etri* EG*it.* Et verò Concilia plurima fuisse à S. Leone Romæ celebrata Cardinalis Baronius [K] advertit, illisque temporibus *moris fuisse annis singulis a. d. III. Kal. Octobris convenire Romam Episcopos ad Synodum celebrandam*. Quare cum S. Leo

(i) *Lexic. Philol. v. Christus.* (K) *Ad annum 449. n. 145. & 149.*

Leo Sedem Apoſtolicam tenuerit annos XXI. minùs diebus duobus & triginta, [l] fieri ſanè potuit, ut ſextum ſuum Concilium Romanum in S.Clementis Papæ & Martyris antiqua Baſilica celebraret, ac tum reperto FLAVII CLEMENTIS Martyris tumulo, ejus Concilii memoriam eodem lapide conſignari vellet, cui Sancti Martyris nomen aſcriptum erat. Certè in illa S. Clementis Baſilica Romanus Pontifex Zozimus, annis tribus & viginti priuſquam S. Leo Sedem Apoſtolicam obtineret, Cæleſtium Pelagii diſcipulum audierat, (m) & fraudulentâ verſipellis hæretici, qui ſe [n] *generaliter Innocentii Epiſcopi litteris conſentire*, & quædam eſſe *dumtaxat, de quibus ſe adhuc dubitare, & inſtrui velle* affirmabat, profeſſione deceptus, eum *aliquanto leniùs quàm ſeverior poſtulabat Eccleſiæ diſciplina*, tractaverat. Sed acceptis deinde *ex Africa litteris, in qua provincia ejus aliquanto calliditas evidentiùs innotuerat*, vidit optimus Pontifex, *non ſufficere quòd ſe generaliter Innocentii Epiſcopi litteris conſentire fatebatur, ſed apertè eum debere anathematizare quæ in ſuo libello prava poſuerat; ne, ſi id non feciſſet, multi parum intelligentes magis in libello ejus illa fidei venena à Sede Apoſtolica crederent approbata ... quàm emendata propter illud, quòd ſe Papæ Innocentii litteris conſentire ipſe reſponderat.* Itaque *profectò quidquid interea leniùs actum eſt cum Cæleſtio, ſervatâ dumtaxat antiquiſſimæ & robuſtiſſimæ fidei firmitate, correctionis fuit clementiſſima ſuaſio, non approbatio exitioſiſſima pravitatis. Et quod ab eodem Sacerdote poſtea Cæleſtius & Pelagius damnati ſunt, paululum intermiſſæ, jam neceſſariò proferendæ ratio ſeveritatis fuit, non prævaricatio priùs cognitæ, vel nova cognitio veritatis*, ut ſcribit S. Auguſtinus. [o]

Alter vir ſummo ingenio, ſagacitate in ejuſmodi rebus

(l) *Baron. ad ann. 461. n. 3. & alii.* (m) *Conc. Labb. t. 2. p. 558. E.*
(n) *S. Auguſt. l. 2. ad Bonif. c. 3. n. 5.* [o] *Vide l. de pecc. orig. c. 6. n. 7. &c.*

incredibili, & eruditione ſingulari prædictus ita legendam eſſe tertiam lineam ſuſpicabatur. LEO I^us^ DOCT*or* X*riſti* 13. M*enſis* VI.^i^ A*d* S. P*etrum* E*umdem* G*eſtavit*. Verùm ſi hæc foret tertiæ lineæ ſententia, longè ſeriùs, & quidem ab homine valde imperito eam ſcriptam eſſe oporteret. Nam præter illud, quod de Leonis Primi appellatione diximus, illæ, quæ vocantur cifræ arabicæ, qualis eſt hæc 13. non ante ſæculum XII. à Latinis uſurpatæ ſunt. Deinde non ad S. Petri, ſed ad S. Clementis Papæ & Martyris Baſilicam geſtatum eſt corpus hujus FLAVII CLEMENTIS Martyris, cui appoſita eſt hæc inſcriptio.

Pars averſa legenda eſt, vel *C*hriſtus *J*eſus DO*minus*, vel *Deus* O*ptimus*, ſeu *Omnipotens*, vel etiam DO*minatur*, ut jam à tempore Conſtantini ob triplicem victoriam ope Sanctæ Crucis à ſe viſæ reportatam, hanc epigraphen, IHCOYC XPICTOC NIKA, *Jeſus Chriſtus vincit*, tribus Crucibus impoſitam narrat Nicephorus: (p) *Ad imitationem igitur*, ac memoriam *triplicis iſtius viſionis, tres ex ære fieri curavit Cruces, eiſque ſacra hæc impoſuit nomina, Jeſus, Chriſtus vincit*; Quo loco μνήμην fortaſſe, non μίμησιν, *memoriam*, non *imitationem* à Nicephoro ſcriptum eſt, quamvis vox eadem bis eodem capite recurrat, atque ante Nicephorum Euſebius, aliique idem ſcripſerint. Neque enim viderat Conſtantinus tres Cruces, in quarum una ſcriptum eſſet IHCOYC, in altera XPICTOC, in tertia NIKA, ſed ter Crucem viderat, omen triplicis victoriæ adversùs Maxentium, Byzantinos & Scythas, quemadmodum Nicephorus aliique narrant; atque ut perpetuum extaret grati ac pii animi monumentum, eas tres Cruces erexerat,

quæ

(p) l. 8. c. 32. κατὰ μίμησιν τοίνυν τῶν τριῶν τύπων σταυρικῶν ὁρασέων, τρεῖς ἐκ χαλκοῦ ἐποίει σταυρὰς, καὶ τὰ σεβάσμια τούτων ὀνόματα οὕτως ὠνόμασεν, Ἰησοῦς, Χριστός, Νικᾷ.

quæ hujus ſententiæ, *Jeſus Chriſtus vincit*, ſingulas voces exhiberent. Eadem epigraphe ſic expreſſa in nummis pluribus apparet, non tantùm in Græcis, ſed etiam in Siculis poſteriorum temporum, quibus nummis inſcriptæ ſunt ex vna parte litterę Græcę IC XC NIKA *Jeſus Chriſtus vincit*, ex alia litteræ arabicę, vel potiùs, ut ego quidem jam exiſtimo, floreum quoddam ornamenti genus. Nummos ejuſmodi aliquos vidi, & unum habeo, (q) diverſum ab eo, quem refert Paruta. (r)

Ac primùm, hoc quod vocant monogramma ☧, ſolum Chriſti nomen exhibet duabus prioribus græcis litteris inter ſe connexis XP, ut Euſebius totidem verbis docet, quæ mox afferemus. [s] Scio Romæ plures id ſic interpretari, *Pro Chriſto*, quaſi P littera latina ſit, non græca. Quare & hoc Martyrum indicium eſſe volunt, quo declaretur eos, quorum tumulo inſcriptum eſt, *Pro Chriſto* ſanguinem fudiſſe. Verùm hoc quidem loco P græca littera eſt, non latina, ut jam pridem Viri docti monuerunt, neque hoc ſignum ſolis Martyribus, ſed Chriſtianis quibuslibet apponi conſuevit. Id verò probant inſcriptiones plurimæ, quæ memorantur ab Aringho, [t] a Raphaele Fabretto, (u) ab eruditiſſimis Boldeto, [x] Ciampino (y) et aliis. Accedunt vetera numiſmata Chriſtianorum Imperatorum, quæ idem ſignum exhibent vel labaro prȩfixum, vel in ipſa area (z) DN LIB SEVERUS PF AUG Cap. cinctum diad. conv. ſin. ℞. Chriſti monogramma intra cor. laur.

 In

[q] *Pag.20.n.10.11.* (r) *Sicil. tab.p.156.Edit.Panorm.* (s) *L.1. Vitæ Conſt.Cap.olim 25.jam 31.* δύο ϛοιχεῖα τοῦ Χριϛοῦ παραδηλοῦντα ὄνομα &c.

(t) *Rom. Subterr. t. 2. l. 6. c. 22. & 23. p. 491. &c.* [u] *Inſcr. ant. c. VIII. p. 545. &c.*

[x] *Oſſervazioni ſopra i Cimiterj de SS. Martiri l. 2. c. 3. p. 337. col. 1.* (y) *Veter. monim. p. 1. pag. 225.*

[z] *Vid. Mediobarbum, Cangium, Banduri, & alios nummorum veterum collectores, & Baronium ad ann. Chr. 312. n. 24. &c. Lipſ. de Cruce l. 3. c. 15. p. 106. &c. Gretſer. de Cruce t. 1. l. 2. c. 56. p. 458. c. 39. p. 471. & tom. 3. l. 1. c. 4. p. 1797.*

In imo RM. quinarius eſt argenteus in Muſæo noſtro. Ibidem verò præter argenteum Anthemii nummum optimæ notæ, & extra omnem falſitatis ſuſpicionem, qualem D. Anſelmus Banduri [(a)] nullum vidit, qui legitimus ipſi videretur, eſt hic aureus, & quidem cum epigraphe ſingulari, quam ſimili typo conjunctam in Anthemii nummis hactenus nemo retulit. DN ANTHEMIUS PF AVG. protome Imperatoris haſtam humero & manu d. ſuſtinentis, ſin. clypeum. ℞. [(b)] SALUS REIPUBLICAE. in area Chriſti monogramma intra cor. laur. In imo COMOB.

Cernitur aliquando pro Chriſti monogrammate ſola littera X, quâ & Chriſti nomen deſignari ſolebat; ut demonſtrant illæ vulgares Chriſtianorum Antiochenorum de Juliano Apoſtata querelæ, quibus, ut Julianus ipſe refert in Miſopogone [(c)], littera X Chriſtum, K Conſtantium ſignificat, qui nimirum Cæſarem ipſum creaverat, ut eodem loco profitetur Julianus, & Ammianus [(d)] diſtinctè tradit, non Conſtantinum, ut aliqui contra manifeſtam Juliani mentem interpretantur.

Præterea ſunt in M. N. & paſſim occurrunt Theodoſii Senioris, & Arcadii, Honoriique nummi cum epigraphe, GLORIA ROMANORUM, & VIRTUS EXERCITI, & Magnii Maximi VICTORIA AUGG, qui pro Chriſti nomine aut monogrammate, ſolam hanc litteram X præferunt inſcriptam labaro. Quare & Chriſtum intelligi debere manifeſtum eſt in illo Criſpi numiſmate ex maxi-

mo

(a) Tom. 2. pag. 594. (b) Pag. 20. num. 14. (c) Jul. tom. 2. pag. 89. edit. Par. 4. 1630. p. 89. τὸ χῖ, φησὶν, ἐδὲν ἠδίκησε τὴν πόλιν, ἐδὲ τὸ Κάππα... ἐδιδάχθημεν ἀρχὰς ὀνοματίων εἶναι τὰ γράμματα, δηλῦν δ' ἐθέλειν τὸ μὲν χριςὸν, τὸ δὲ Κωνςάντιον.... ὅτι πολεμῶ τῷ χῖ, πόθος δὲ ὑμᾶς ἔισεισι τῦ Κάππα. *(d) L. 15. Vid. Baron. ad an. 355. n. 80. 81.*

mo modulo, quod retulit Baronius [e] ex Musæo Fulvii Ursini, ac deinde Gretserus. [f] Nummus autem eximius est ejusmodi: CRISPUS NOB CAES. caput Crispi cinctum diademate conv. dextr. extat pectore tenus. Ipse d. expandit, sin. gerit scipionem consularem, in cujus apice est aquila. ℞. SALUS ET SPES X R PUBLICAE. *Salus & Spes Christus Reipublicæ.* Christus sedens inter duos Juvenes paludatos stantes & hastis innixos, quos Crispum ipsum & Constantinum Juniorem esse verisimile est, dextrâ elatâ benedicentis ritu, sin. gerit crucem. In ima parte SP. Nimirum ut Anthemius, [g] Aelia Flacilla, aliique Augusti, & Augustæ Christi nomine salutem Reipublicæ, Constantius, Magnentius, Decentius salutem suam contineri professi sunt, ita Crispus in eodem salutari nomine, & Christianæ fidei professione *Salutem & spem Reipublicæ* positam esse declarat. Est hodie hoc singulare numisma Romæ in thesauro Borghesiano, ad quem Fulvii Ursini selecta numismata devenerunt, & bonâ fide à Baronio accuratè descriptum est. Itaque frustra Vir eruditissimus Anselmus Banduri qui illud nusquam vidit, suspicatur sic legi debere, SALUS ET SPES REIPUBLICAE. Idem censet hìc exhiberi Constantinum ipsum sedentem inter filios duos Crispum, & Constantinum Juniorem; sed vultus limbo ornatus persuadet Christum potiùs esse, quàm Constantinum. In nummo Justiniani argenteo est [h] ☧ paulo diversâ formâ; In Arcadii nummis æreis aliisque, [i] ☧; atque ita passim scriptum reperias in veteribus monumentis, quæ afferuntur à Baronio [K] & Boldeto. [l]

Extat & hac formâ, [m] ☧ in nummis Focæ, Siconulfi,

(e) *Ad ann. Chr. 324. n. 13. 14. 15. 16.* (f) *Tom. 3. de Cruce l. 1. c. 8. p. 1813.* (g) *Pag. 20. n. 14.* [h] *Pag. 20. num. 4.* (i) *Ib. num. 5.* [K] *Ad ann. Chr. 312. n 25. &c.* (l) *Pag. 336. 352.* [m] *Pag. 20. num. 6.*

nulſi, & aliorum ſive Imperatorum, ſive Principum, quo ſigno non pedum paſtorale à veteri lituo derivatum exprimitur, ut Begerus [n] aliique vulgò docent, ſed ipſum Chriſti monogramma rudiùs, ut temporibus illis, expreſſum. Alibi reperitur efformatum ad eum modum quem ænea noſtra tabula repræſentat. [o]

Præterea idem Illuſtriſſimus Boldetus [p] ſcribit hoc Chriſti monogramma ſæpius à ſe repertum fuiſſe in cœmeterio S. Agnetis cum litteris SPES DEI ita diſpoſitis, ut littera P ſimul eſſet & latina littera P, & græca littera P.


Quod verò adjungit [q] vidiſſe ſe in cœmeterio Jordani idem monogramma cum litteris SPES IN DEO, me admonet eſſe in M.N. nummum tertiæ formæ plumbeum, qui caput virile præfert ſine epigraphe, & ex parte averſa has litteras ita tribus verſibus diſtinctas: quapropter hunc nummulum à Chriſtianis cuſum eſſe oportet.

SPE
SIN
DEO

Denique in marmore quod ex veterum Chriſtianorum tumulis ablatum in manus meas devenit, ſic efformatum eſt Chriſti monogramma, [r] ut pars litteræ P ſit eadem & litteræ X mediumque ſit inter A & ω, appoſitâ eâ Sacræ Crucis formâ, quæ Græca dicitur, & palmâ, quâ certum martyrii indicium contineri vir harum rerum peritiſſimus & à nobis ſæpe laudatus Marcus Antonius Boldetus [ſ] oſtendit. Ita deſignatur Chriſtum eſſe rerum omnium principium & finem, A & ω, quo ſe nomine Chriſtus ipſe [t] appellavit. Iſto ergo ſigno non *Pro Chriſto*, ſed ipſe *Chri-*

[n] *Theſ. Brand. tom.* 2. *par.* 857. [o] P. 20. *num.* 7. 8. 9. [p] *Pag.* 336.
(q) P. 806. *col.* 1. (r) N. 3. [ſ] *Oſſerv. ſopra i cim. de SS. Mart. p.* 241. *&c.*
[t] *Apoc.* 1. 8. XXI. 6. & XXII. 13.

Christus indicatur, neque P eo loco latina littera est, sed græca.



Hoc quidem rectè vidit scriptor ille à Catholica religione alienus, & dicacitatis quàm veritatis studiosior, qui suum iter Italicum gallicè datis ad amicum epistolis descripsit. (u) Sed idem cùm in res nostras curiosiùs inquirere nititur, addit his litteris quæ ad Beatissimæ Virginis Mariæ imagines appositæ visuntur, $\overline{\text{MA}}$ $\overline{\Theta\Upsilon}$, significari ΜΑΡΙΑ ΘΥΓΑΤΗΡ, quo nihil dici potest obtusius. Primùm enim non modò in picturis statuisque, sed & in pluribus Imperatorum Græcorum nummis, qui decimo, & consequentibus sæculis cusi sunt, non $\overline{\text{MA}}$ $\overline{\Theta\Upsilon}$, sed $\overline{\text{MP}}$ $\overline{\Theta\Upsilon}$ aut $\overline{\text{MH}}$P $\overline{\Theta\Upsilon}$ aut $\overline{\text{MP}}$ $\overline{\Theta\Upsilon}$ legitur; [x] deinde manifestum est, & Catholicis rudioribus notissimum, his litteris

[u] *Voyage d'Italie to. 2. lett. 26. p. 13. edit. 1694.*

(x) *N. 13. Vid. & R. D. Banduri tom. 2. in Joanne Comneno &c.*

teris significari perpetuam Ecclesiæ Catholicæ fidem in Concilio Ephesino declaratam, quâ B. Virgo Maria θεοτόκος, & μήτηρ θεȣ̃, *Deipara* seu *Mater Dei* creditur, non θυγάτηρ, *filia*, quæ vox idoneum hoc loco sensum nullum potest efficere.

Verùm ut ad Christi monogramma redeam, idem hoc signum etiam ante Christi tempora fuit adhibitum in monumentis veteribus ad ea verba significanda, quæ primas litteras Græcas habent X & P. Sanè in uno qui penes me est, Ptolemæorum Ægypti Regum nummo moduli maximi videtur id, quod & Gretserus (y) vidisse se testatur in uno ex Bibliotheca Ingolstadiensis Academiæ, quodque in altero viderat Abrahamus Ortelius, nimirum inter duos Aquilæ pedes expressum idem monogramma ☧, quo nihil aliud indicari poterat, quàm Χαλκὸς Ῥοδίων, *æs Rhodiorum*, ut eruditissimus R. P. Harduinus [z] suspicatur, vel ut alii existimant, priores duæ litteræ, quibus Monetarii nomen indicatur, *Chrysauri*, *Chrysanthii*, aut certè civitas aliqua sive in Ægypto, sive in insula Cypro, sive in reliqua ditione Regum Ægypti sita, in qua cusi ejusmodi nummi fuerint, vel etiam Χρηστήριον, *oraculum* χρυσαορεὺς, quod fuit Jovis apud Cares epithetum, χρέμης, *Chremes*, viri nomen ex Comœdiis notum, χρηστὸς, *bonus*, aut aliquid simile. (a)

Affirmat quidem Joannes Baptista Casalius [b] idem signum ☧ *in plerisque Ptolemæorum æreis numismatibus non semel extare*, auctoremque affert Pignorium. [c] Ego qui signum illud vix in centenis quibusque nummis Ptolemæorum semel

(y) *Tom. 1. de Cruce l. 2. c. 38. p. 469.* [z] *Ad Plin. l. 5. c. 31. sect. 36. num. 23. pag. 285.*
(a) *Vide Gretserum, Boldetum locis citatis, & alios quos illi adducunt.*
(b) *De veteribus Christianorum ritibus c. 2. p. 11.* (c) *Epist. 24.*

mel reperi, non audeam affirmare *in plerisque Ptolemæorum æreis numismatibus non semel extare*. Justus quoque Lipsius [d] Occonem secutus scribit in aliquibus nummis Gallieni, & illius Romuli, qui Maxentii filius fuit, signum idem occurrere, quod quia mihi videre non contigit, nec dicere audeo, nec prorsus negare. Certius est id quod ostendunt & Cangius in utroque glossario, & R. P. Bernardus de Montfaucon in Palæographia Græca, (e) signum hoc in libris atque adeo in aliis monumentis veteribus sumi pro Χρυσόστομος, Χρόνος, Χρυσὸς, Χρυσίον aliisque vocibus simile principium habentibus. Est in Collegio Romano concha patula paulo grandior, quam R. P. Josephus Lusi ex patria sua Cephalenia detulit, iis coloribus picta, qui antiquam Græciæ Christianæ pietatem magis quàm elegantiam redolent. In ea stat S. Joannes Chrysostomus medius inter S. Basilium & S. Gregorium, trium horum Ecclesiæ Græcæ Doctorum ac Patrum nominibus in hunc modum ascriptis, Ο͑ Α͑ ΒΑCΙΛΕΙΟC. Ο͑ Α͑ ΙΩ̄C ☧ CΟ Θ. Ο͑ Α͑ ΓΡΗΓΟΡΙΟC.

Præterea quod inter eruditos jam plerique faciunt, ut quæ videntur inter legendum notatu digna, hoc signo ad libri oram apposito NB secernant, Grammatici Græci veteres hoc signo ☧ distinguebant, quo indicarent esse illa Χρηστὰ, seu Χρήσιμα, *bona*, *utilia*, digna quæ excerperentur, & in γνωμολογίας, quas & Χρηστομαθείας vocabant, subinde referrentur. Ejusmodi Χρηστομαθειῶν libros quatuor ab Helladio Besantinoo scriptos Photius commemorat in Bibliotheca, [f] quos libros ut à Photio ad nos pervenerunt, Jacobus Gronovius in Thesaurum Antiquitatum C Gre-

(d) *De Cruce l. 3. c. 16. p. 109.* (e) *P. 276. & 344.*
(f) *Cod. 279. p. 1577.*

Græcarum [g] tranſtulit. Legerat Photius [h] & Procli χρηϛομαθίαν γραμματικὴν, & laudantur ab eruditis excerpta quædam ex Geographia Strabonis eodem nomine inſignita, Χρηϛομάθειαι ἐκ τῶν Στράβωνος γεογραφικῶν. Nam à Græcis dicitur χρηϛομάθεια & Χρηϛομαθία, ut φιλομάθεια & φιλομαθία. Et Iſidorus [i] agens *de notis ſententiarum*, hanc notam vocat Χρήσιμον, eamque ſic deſcribit: ☧ χρήσιμον. *Hæc ſola* [K] *ex voluntate uniuſcujuſque ad aliquod notandum ponitur.*

Iidem verò Grammatici veteres, quos arbitrabantur verſus malos, ſpurios & obelo dignos, quam vocem vel antiquatam, vel nimis novam & inſolentem, litterâ X ſolâ ſignabant, atque hoc ipſum vocabant χιάζειν, *decuſſare*, quemadmodum proditum eſt Athenienſes, ut ſuum adversùs Chios odium teſtarentur, litterâ X ſignaſſe nummos eos quos adulterinos ac rejiciendos putabant. Qua de re conſuli poſſunt Scholiaſtæ veteres Sophoclis & Euripidis, Euſtathius in Homerum, Henricus Stephanus in Theſauro Græco, [l] Guillelmus Budæus vel Robertus Conſtantinus in Lexico Græco-Latino, Matthias Martinius in Cadmo Græco-Phænice, & alii.

Notam utramque Joſephus Scaliger non ſatis aptè diſtinxit: X, inquit, [m] *hæc littera frequentiſſima eſt in ſcholiis Pindari & Ariſtophanis, ubi aliquid à Poeta novè uſurpatur. Significabat etiam* Χρηϛὸν, *quando appoſitum margini notabilem locum aut ſententiam oſtendebat, ut Eclogarius haberet paratum cùm uſus poſtularet. Unde & ſententiæ ſelectæ vocantur* χρηϛομάθειαι. *Latini* lau-

(g) *Tom. X. pag. 951.* (h) *Cod. 239. p. 991.*
(i) *L. 1. Orig. c. 20.* (K) *Fort Sigla.* (l) *Tom. 2. col. VII.*
(m) *Anim. in Chron. Euſeb. 1. edit. p. 111. B.*

laudabilia *dixerunt*. Nam X ſignificabat voces nimiùm vel novas vel antiquas, atque ideo fugiendas, ☧ ſententias notabiles, ſeu *laudabiles*.

Sed in monumentis certè veterum Chriſtianorum, quale hoc noſtrum eſt, ☧ nihil aliud quàm Sacrum Chriſti nomen exhibere meritò creditur. Atque hoc quidem ſigno priores tantùm duas Sacri nominis litteras exprimi clarè ſcribit Euſebius: [n] τ̃ σωτηρίȣ ἐπηγορίας τὸ σύμβολον, δύο ϛοιχεῖα τȣ̃ Χριϛȣ̃ παραδηλȣ̃ντα ὄνομα διὰ τῶν πρώτων ὑπεσήμαινον χαρακτήρων, χιαζομένȣ τȣ̃ Ρ κατὰ τὸ μεσαίτατον. Quæ verba ſic Henricus Valeſius reddidit: *Salutaris appellationis ſignum: duæ videlicet litteræ nomen Chriſti primis apicibus deſignabant, litterâ* P *in medio ſui decuſſatâ*. Poſtremas voces D. Anſelmus Banduri ſic interpretatur: [o] *lineâ tranſversâ per mediam litteram* P *ductâ*, Euſebiumque vult ita ſcripſiſſe non de monogrammate ☧ Sed de ⳨. Verùm pace viri eruditiſſimi dixerim, Euſebii verba de forma ☧ potiùs quàm de ⳨ intelligenda videri, tum quia illa & prior fuit & ævo Conſtantiniano ſæpius adhibita, tum quia vox ipſa χιαζομένȣ illam potiùs quàm hanc ſignificat. Gretſerus Euſebii ſenſum his verbis explicat: [p] *Erat enim P in medio litteræ X curioſè & ſubtiliter intexta*.

Fuerunt tamen qui hoc monogrammate non tantùm priores duas litteras, ſed omnino ſex illas quibus Sacrum Chriſti nomen conſtat, repræſentari cenſerent; litteras ſex dico, non ſeptem, quia *ſigma* ſeu *ſigmata* duo vocis ΧΡΙΣΤΟΣ pro uno numerantur. Id explicat diligenter S. Pau-

C 2 linus

[n] *In vita Conſtant. l. 1. cap. olim 25. jam 31.*
[o] *Numiſm. tom. 2. p. 250. not. 1.*
[p] *De S. Cruce Tom. 1. l. 2. c. 37. pag. 458.*

linus ille Nolanus in natali S. Felicis undecimo, quem inter Anecdota Latina ex Ambrosianæ Bibliothecæ codicibus eruta primus vulgavit V. Cl. Ludovicus Antonius Muratorius. (q)

Jam verò IC est pro IHC seu IHCOYC, *Jesus*, quod nomen Sanctissimum etiam hodie scribitur à Latinis IHS, litterâ latinâ S græcæ Σ vel C substitutâ, & servatâ litterâ H, quæ Græcis est η, Latinis h. Quare licet aliquando scribatur ihs & ihs, littera media græca est, non latina, quemadmodum diximus in Christi monogrammate ☧, litteram P græcam esse, non latinam. In antiquis Græcorum Imperatorum, aliorumque ut vidimus, nummis (r) vulgò IC XC vel IS XS pro IHCOYC XPICTOC sumitur. Latini ut XPS, XPI, XPO, XPM scripsere pro *Christus*, *Christi*, *Christo*, *Christum*, sic & IHS & IHV pro *Jesus* & *Jesu*. Refert vir harum rerum studiosus indagator Joannes Mabillonius [s] sigillum Caroli Calvi cum hac epigraphe IHV NATE DI CARLUM DEFENDE POTENTER.

DO videtur hic poni pro DO*minus*, quæ appellatio Christi propria est in Sacris litteris. (t) *Benedictus Deus & pater Domini Nostri Jesu Christi*. Si quis *Deus Omnipotens* vel *Deus Optimus* significari malit, cùm sit eadem sententia, non valde repugnabo. Vir eruditus legendum hic censebat, *Christus hic dominatur*, vel etiam *Christus hac*, nimirum Cruce *docet*, aut *dominatur*. Quæ lectio si magis arriserit, libenter patiar amici optimi & doctissimi, quem plus amo

(q) *Anno* 1697. *In* 4. *tom.* 1. *p.* 42. [r] *Pag.* 20. *n.* 10. 12. & 15.
(s) *Suppl. Diplom. c.* XI. *p.* 48.
(t) 1. *Petr.* 1. 3.

amo plurisque fieri volo quàm me ipsum, conjecturam anteponi meæ.

4. ☧ 5. ☧

6. ☧ 7. ☧

8. ☧ 9. ☧



10. 11.

12. IC XC 13. MP ΘΥ



14. 15.

§. II.

QUO TEMPORE POSITA FUERIT HÆC INSCRIPTIO.

De tempore quo posita est hæc inscriptio, quoniam nisi conjectando disseri non potest, conjecturæ trahendæ sunt vel ab iis quæ plumbeâ illâ capsulâ concludebantur, vel à ductu ac formâ litterarum, quibus exarata est inscriptio. Ab ipsis verbis elici posset aliquid certius, si ea quibus constat tertia linea, quænam sint fuissemus assecuti.

1. Ac primò continebat capſula præter cineres & oſſa Martyris, Cruces, & Agnos cereos.

Crucis Dominicæ ſalutare ſignum, vel in ligno vel in ære expreſſum, dubitari non poteſt quin jam tum à primis Chriſtianæ rei temporibus à Fidelibus adhibitum fuerit; neque verò illud in templis tantùm atque Oratoriis quò vulgò conveniebant, ſed in domibus privatis religiosè aſſervabatur. Imò & (u) *Cruces quoque Fidelibus inhumatis fuerunt inditæ*, ut multis idoneis auctoribus Panvinius aſſerit; honorem verò his Crucibus habitum ſatis probant quæ eruditè congeſſerunt Juſtus Lipſius [x] & Jac. Gretſerus. (y)

Agni cereæ imagini, quam *Agnum Dei* vocant, eamdem prorſus antiquitatem tribuere non auſim. Onuphrius Panvinius [z] Agnorum Dei conſecrandorum uſum inductum à Romanis Pontificibus fuiſſe credit ad retinendam memoriam ſolemnis baptiſmi, qui primis Religionis Chriſtianæ ſæculis ſolo Paſchæ & Pentecoſtes tempore peragebatur; atque adeo non invaluiſſe eam conſuetudinem ante ſæculum nonum, quo ferè ſæculo deſiit ſolemnis ille baptiſmus celebrari. Verùm hæc conjectura parum eſt probabilis, cùm Agni cerei uſum longè antiquiorem eſſe oſtendant multa, quæ Panvinius ipſe protulit antiqua monumenta, & apertè conficiat vel ſolus ordo Romanus, (a) qui S. Gregorii Magni aut etiam Gelaſii Primi Papæ temporibus adhibebatur, & longè antea confectus cenſebatur. In illo enim agitur de agnorum cereorum benedictione, & diſtributione.

Quare

(u) *Onuphr. Panvin. de Baptiſm. Paſch. p. 148.* (x) *De Cruce In 8. edit. Antuerp. an. 1595.* [y] *De S. Cruce to. 1. l. 2. p. 344. & ſeqq.* [z] *De Baptiſmate Paſchali in 8. 1656.* [a] *Biblioth. PP. Lugd. to. 13. pag. 700. B. Vid. & Amalarii Fortunati de divin. offic. l. 1. cap. 17. & Baron. & Spondan. ad ann. 58. n. 30.*

Quare omnino rectiùs ſentire videntur vel Molanus, (b) qui Agni cerei primordia refert ad ætatem Conſtantini Magni, hoc eſt ad ſæculum Chriſti quartum, vel etiam Auguſtinus Valerius Cardinalis Veronenſis, [c] aliique quos recenſet Theop. Raynaudus, (d) qui ejus uſum referunt ad S. Joannis Chryſoſtomi, aut Zozimi Papæ tempora, ſive ad initium ſæculi quinti.

Neque tamen ego eo præſertim tempore inſtitutam Agnos cereos conſecrandi conſuetudinem fuiſſe contendo, quam longè antiquiorem eſſe, imò & ab Apoſtolica traditione proficiſci (e) facilè mihi perſuadeo, etſi vel auctores ſatis idoneos, vel ſatis valida deeſſe videam argumenta, quibus idem aliis perſuadeam. Ita neque illæ Cruces, neque cereæ illæ imagines agni quidquam prorſus afferunt, quo veluti certo indicio inſcriptionis hujus tempus deprehendamus.

Nam quod cereos Agnos oſſibus permiſtos, & eâdem capſulâ plumbeâ incluſos Eminentiſſimus Cardinalis reperit, ſæpius idem contigiſſe Scriptores probati tradidere. Neque enim tantùm Alberto Magno (f) conſepultus eſt Agnus Dei cereus, quem ille vivus piè ac religiosè geſtans venerabatur, ſed etiam in eo, (g) qui Romæ anno 1544. effoſſus eſt, tumulo Mariæ Auguſtæ illius quæ Honorii Imperatoris conjux fuit, & Stilichonis filia, reconditus erat præter cetera Agnus Dei cereus. Rem totam retulit ille Sebaſtianus Munſterus rituum noſtrorum alioquin deſer-

---

(b) *Orat. 6. de Agnis Dei.* (c) *De benedictione agnorum Dei. Libellus ejus editus eſt cum Onuph. Panv. libro p. 165.* (d) *Tom. 2. p. 57. n. 119. & to. 10. c. 8. p. 344. & c. 13. p. 374. &c.*

(e) *Vid. librum Italicè ſcriptum Vincentii Bonardi O. P. diſcorſo intorno all' origine, antichità, e virtù degli Agnus Dei Benedetti. In 4. Roma 1586.* [f] *Th. Rayn. T. 10. p. 373.*

(g) *Ib. p. 347. & 348.*

ſertor & contemptor. [h] Eamdem narrant Bartholomæus Marlianus [i] & Laurentius Surius. [K] Mariam verò Auguſtam ante ſæculi quinti medium mortuam eſſe conſtat.

2 Progrediamur jam ad litterarum formam & implicationes. Video litteram E veluti in arcum eſſe lunatam hac forma ϵ, quod Latini videntur à Græcis nonniſi ſerò didiciſſe.

Ac Græci quidem litteram E rectâ, & quadratâ formâ primis temporibus vulgò ſcribebant, pariterque ſigma non aliâ formâ quàm Σ. Deinde paulatim induci cœpit Є pro E; & C, aliquando etiam Ϲ pro Σ. Nam utriuſque litteræ eadem ferme fuit ratio, eaſdem utraque fortunæ conſuetudiniſque vices experta eſt,

Uſum ſcribendi ϵ pro E, & C pro Σ Syria primùm, ut videtur, deinde Ægyptus atque Aſia, poſtea circa Domitiani tempora Græcia, Græcæque paſſim urbes reliquæ ſuſcepere. Itaque & poſt Domitianum in veteribus nummis Trajani, Hadriani, imò & Gordiani Pii forma E & Σ non quidem omnino nunquam, at certè perrarò cernitur, [l] & in nummis qui Domitiani ætatem aliquot ſæculis anteceſſerunt, forma Є & C nonniſi parcè ac raro, ſed interdum tamen uſurpata eſt. Qua in re non temporis tantùm, quod hactenus Eruditi Viri fecere, ſed regionis ac ferme urbis cujuſque uſus obſervandus fuit.

Jam in nummos latinos forma ϵ pro E longè ſeriùs inducta eſt. Ac mihi quidem videtur etiam in poſterioris ævi nummis qui litteras vel per aream ſparſas, vel in ima parte quam *exergon* vocant, collocatas exhibent, forma E litte-

(h) *Coſmogr. Univ. p.* 148. *edit. Baſil.* (i) *L.* 5. *de ann. Urb. c.* 22. (K) *Comm. ann.* 1544.
[l] *Vid. Ez. Spanh. tom.* 1. *edit. Lond. diſſ.* 2. *p.* 100. & 101.

litteram latinam, є Græcam exhibere. TRE, *Treveri*; ЄSIS, *quintum Sisciæ*. In Honorii nummo ex ære minimi moduli, qui est in musæo nostro, DN HONORIVS PF AVG. Caput cinctum diademate ex duplici unionum ordine, conversum sinistrorsum. ℞. VRBS ROMA FELIX. In area OF є *officina quinta*. Imperator stans tenet d. vexillum, sin. Victoriolam quam respicit, & à qua coronatur. In imo SMROM *Sacra Moneta Romæ*. Atque aliorum qui passim occurrunt, eadem solet esse ratio. Seriùs omnino, & quidem non semper occurrit in vocibus latinis є pro E. Est in m. n. nummus hic aureus Theodosii Junioris: DN THEODOSIVS PF AVG. Caput adversum & galeatum Imperatoris d. tenentis hastam supra humerum, sin. clypeum. ℞. VIRT ЄXЄRC ROM. Imperator stans tenet sin. trophæum quod humero gestat, d. premit caput captivi. Ad sin. stella; in imo CONOB. Hanc epigraphen eruditissimus & diligentissimus D. Anselmus Banduri non observavit, (m) præterquam in Juliani nummis.

Quod verò de nummis veteribus dixi, de inscriptionibus idem affirmari potest, formam Є posteriorum esse temporum in monumentis latinâ linguâ exaratis, ac ferè Justiniani & Justini Imperatorum ætate cœpisse vulgò à Latinis hominibus adhiberi. Itaque quantum possum assequi conjecturâ, forma litteræ є, quam habet nostra inscriptio in CE & in ЄV, facit ut arbitrer nonnisi post sæculum VI. aut VII. ipsam esse exaratam; ductus verò litterarum accuratus & elegans persuadet non multò post sæculum VII. esse scriptam.

Accedit quod idem suadent illæ litterarum implica-

[m] *Tom.2.p.427.*

tiones in FΛV & C€M. Nam litterarum quidem compendia Ṽ pro TV atque hujusmodi cetera jam tum à Romanæ reipublicæ temporibus usurpari cœpere. Est in m. n. nummus gentis Aciliæ argenteus, in quo scriptum est: M ACILIVS III VIR VALE Ṽ pro *valetudinis*. Verùm litterarum implicationes, quibus efficiuntur ea quæ vocantur monogrammata & siglæ, à Græcis libenter adhibitæ, non tamen in vocibus quibuslibet, sed in propriis ferè urbium aliquarum nominibus designandis, seriùs à Romanis receptæ sunt. Caput muliebre turritum conv. sin. cum epigraphe FELIX RAVENNA ℞. in area RE *Ravenna*. Nummus est æreus infimi moduli in m. n. quem nummum circa Justiniani aut certè Focæ Imperatoris tempora cusum esse multa persuadent. Justini pariter ac Justiniani nummi plures argentei ex m. n. litteras exhibent inter se commissas & connexas eo modo, qui ante illam ætatem vix adhiberi solebat.

Jam quæ de nummis veteribus diximus, potiori jure debent de inscriptionibus intelligi. Rectè enim advertit Christophorus Cellarius, [n] *angustum spatium in parvis nummis fuisse in causa, ut litteras quasdam artifices contraherent & ligarent, quod secus se in lapidibus ac æneis tabulis habet, ubi omnia plerumque sunt planè distinctèque expressa.*

Igitur illæ litterarum implicationes cùm à Latinis seriùs adhibitæ fuerint, quàm à Græcis, seriùs deinde ac rariùs in inscriptionibus quàm in nummis, neque in nummis latinis appareant ante sæculum sextum septimumve, omnino suadent inscriptionem hanc ante sæculum septimum positam non fuisse, præsertim cùm ex ceteris omni-

[n] *Orth. lat. p. 18. edit. Patav.*

omnibus quæ capſulâ plumbeâ continebantur, nihil ſit quod perſuadeat priùs fuiſſe poſitam, nihil quod eo ſæculo poni non potuerit.

Dum vetus altare ſubrueretur, extractum eſt marmor, quo pars ejus anterior claudebatur, longum pedes circiter quatuor Regios, ſeu palmos Romanos ſex, altum duos pedes cum dimidio, ſive palmos ferè quatuor. Id ab exteriori parte politum ac lævigatum, ab interiori ſignatum erat inſcriptione optimis characteribus exaratâ, quæ quamvis ad inſcriptionis noſtræ cognoſcendam ætatem non multum faciat, tamen hoc loco videtur proponenda, tum quia nuſquam eſt edita, tum quia ad illuſtrandam illius perantiquæ Baſilicæ hiſtoriam conferre poterit.

ꟷH ISRAELITICVS D̄Ō (o) OFFEREBAT POPVLVS RVRI
ALIVS QVIDEM AVRVM ALIVS NAMQVE ARGENTVM.
QVIDAM COQVE [p] ÆS QVIDAM VERO PILOS CAPRARVM
INFELIX AVTEM EGO GREGORIVS PRIMVS P̄B̄R (q) ALMÆ
SEDIS APOSTOLICÆ HVIVSQVE TITVLI (r) GERENS
CVRAM AC BEATI SVPREMVS CLIENS CLEMENTIS
OFFERO DE TVIS HÆC TIBI X̄R̄Ē [ſ] THESAVRIS
TEMPORIBVS SC̄ĪS̄S̄ (t) ✠ ZACCHARIÆ [u] PRÆSVLIS SVMMI
PER MARTYREM ET SC̄M [x] PARVA MVNVSCVLA TVVM
CLEMENTEM CVIVS MERITIS MEREAR DELICTIS CARERE
ATQVE AD BEATAM ÆTERNAM INGREDI VITAM
AISTI QVANTVM HABES REGNVM VALET CAELORVM

D 2 SV-

(o) *Pro* Domino (p) *Pro* quoque (q) *Pro* presbyter (r) *Scilicet S. Clementis* (ſ) *Pro* Chriſte (t) *Pro* Sanctiſſimi (u) *Nomen Romani Pontificis Cruce ſignatum.* [x] *Pro* Sanctum.

SVSCIPE HOS DÑE[y] VELVT MINVTA VIDVÆ QVÆSO
VETERIS NOVIQVE TESTAMENTORVM DENIQVE LIBROS
OCTATEVCHVM REGVM PSALTERIVM AC PROPHETARVM
SALOMONEM ESDRAM[z] STORIARVM ILICO PLENOS
REQVIRE SYLLABARVM LECTOR SEQVENTIAM HARVM

Sedecim primi verſus eo modo diſtincti erant, quo in diſtichis exſcribendis diſtingui verſus hexametri & pentametri ſolent, quamvis in his nulla aut ſanè perexigua verſuum latinorum ratio appareat. Qui verò ſequitur verſus, *Require ſyllabarum lector ſequentiam harum*, & minutiori charactere ſcriptus erat, & non video quî potuerit ad hanc inſcriptionem referri, in qua *ſyllabarum ſequentiam* omni ope ac ſtudio *requiſiiſſe* me, & nihil extundere potuiſſe fateor, licet per acroſtichidas & alias ejuſmodi difficiles nugas ſæpius ierim. Suſpicor igitur hunc verſum pertinuiſſe ad alteram quamdam inſcriptionem ſubjectam, quæ tota cum aliqua hujus verſiculi parte truncata eſt, cùm marmor ex eo Baſilicæ loco, in quo primùm poſitum fuerat, ablatum, atque ut altari tegendo inſerviret, diſſectum eſt.

Gregorius hujus inſcriptionis auctor tituli S. Clementis presbyter Cardinalis Zachariæ Romani Pontificis ætate, jam tum à Gregorii ſecundi temporibus interfuit Romano Concilio, [a] quod celebratum eſt Nonis Aprilibus, Leonis Iſauri Imperatoris anno ſexto, poſt Conſulatum ejus anno pariter ſexto, & Conſtantini Novi ejus filii anno ſecundo, Indictione quarta, qui characteres indicant an-

[y] *Pro* Domine [z] *Pro* hiſtoriarum [a] *Baron. ad ann.* 721. *Conc. Labb. tom.* VI. *pag.* 1458. *E. Hard. t.* III. *p.* 1868. *A.*

annum æræ Chriſtianæ DCCXXI. Quapropter, ut rectè Severinus Binius & Baronius adverterunt, Surius hanc Synodum ad Gregorii III. tempora transferre non debuit. Cùm enim Theophanes ſcribat Conſtantinum Novum, eum Sacrarum Imaginum oſorem qui & Copronymus dictus eſt, ipſo Paſchatis die Indictione tertia creatum eſſe Imperatorem, annus ejus ſecundus idemque Leonis patris ſextus incidit in Indictionem quartam, qui fuit annus Gregorii Secundi Summi Pontificis octavus, Chriſti DCCXXI. In eo Concilio poſt aliorum multorum & Epiſcoporum & Presbyterorum S. R. E. Cardinalium nomina ſcriptus reperitur *Gregorius humilis Presbyter S. R. E. tituli S. Clementis*.

Idem Gregorius II. alia duo Concilia Romæ celebraſſe fertur annis DCCXXIV & DCCXXVI. & Gregorius III. hujus ſucceſſor alia duo Romæ celebravit annis DCCXXXI. & DCCXXXII. præſertim adversùs Iconoclaſtarum hæreſim eo tempore graſſantem, quorum Conciliorum licet ſubſcriptiones interciderint, dubitari non poteſt quin iis pariter Gregorius tituli S. Clementis S. R. E. Presbyter adfuerit. Verùm in Concilio Romano, quod Zacharias Summus Pontifex coegit anno Chriſti DCCXLIII. [b] Gregorius hic noſter recenſetur poſt Epiſcopos & Joannem Archipresbyterum. Denique in altero Zachariæ Concilio anni DCCXLV. [c] ſcriptus eſt pariter poſt Epiſcopos & Joannem Archipresbyterum *Gregorius humilis Presbyter S. R. E. tituli S. Clementis*.

Quod ait Gregorius, populum Iſraeliticum *ruri*, hoc

eſt

(b) *Baron. ad ann. 743. n. 24. Conc. Labb. tom. VI. pag. 1551. A. Hard. t. III. pag. 1931. B.*
(c) *Baron. ad ann. 745. Conc. Labb. t. VI. p. 1562. D. Hard. tom. III. p. 1941. C.*

eſt in deſerto, dum peregrinaretur & quaſi *ruſticaretur*, atque in terram promiſſam tenderet, obtuliſſe Domino aurum, argentum & æs, & pilos caprarum, alludit ad id quod Dominus Moſi præceperat, [d] *Hæc ſunt autem quæ accipere debetis : aurum, & argentum, & æs, hyacinthum & purpuram, coccumque bis tinctum, & byſſum, pilos caprarum & pelles arietum rubricatas*, quæ omnia ab Iſraelitis oblata deinde memorantur. [e]

Inter libros quos offert Deo Gregorius, *Octateuchum* appellat, nempe libros quinque Moſis, librum Joſue, librum Judicum, & librum Ruth. Nimirum ut Pentateuchi nomine libri quinque Moſis intelligi ſolent, ut S. Auguſtinus aliique Heptateuchum vocarunt libros quinque Moſis, librum Joſue, & librum Judicum, ita Gregorius Octateuchi appellatione libros octo deſignavit, addito ſcilicet ad Heptateuchum libro Ruth, qui liber mole perexiguus vel libro Judicum adjungi ſolebat, quia complectitur id quod contigit [f] *In diebus unius Judicis, quando Judices præerant*, vel libris Regum, quia & à Samuele ſcriptum eum librum eſſe plerique exiſtimant, & quædam eſt ad libros Regum & Davidicæ ſtirpis hiſtoriam veluti præfatio. Quanti autem pretii fuerint hi Sacri codices, colligi poteſt ex iis quæ paſſim narrantur de ingenti pecunia, quâ libri manu exarati commutari ſolerent ante vulgatam artem typographicam.

Elucet verò in ea inſcriptione Gregorii S. R. E. Cardinalis erga S. Clementem pietas, quam nimirum vir Sanctiſſimus, & Sacro Cardinalium Collegio digniſſimus ſui muneris eſſe exiſtimavit, ut eo præſertim tempore teſtaretur,

[d] *Exod.* xxv. 3, 4. [e] *Ibid.* xxxv. 5, 6, 7. (f) *Ruth.* I. I.

retur, quo Summi Pontifices & Conciliis ſæpius habitis, & Decretis & Epiſtolis novos hæreticos Iconoclaſtas aut ad antiquam Eccleſiæ fidem revocare nitebantur, aut ſi id conſequi non poſſent, feriebant anathemate, & ab Eccleſiæ communione ſejunctos eſſe declarabant. Hæc enim perpetua fuit Romanorum Pontificum conſuetudo, ut hæreſum novarum vel auctores vel ſtudioſos ac fautores tandiu blandè clementerque tractarent, dum ſpes aliqua foret eos ab inſania poſſe hac ratione retrahi; quod ſi ex ſententia non ſuccederet, caverent certè diligenter, ne illorum qui ſanari nollent, morbus alios inficeret, & dira per incautum vulgus contagia ſerperent. Hunc dignum ſupremo Eccleſiæ capite ſenſum exprimit S. Innocentius hujus nominis primus epiſtolâ ad Patres Concilii Carthaginenſis: [g] *Avellendi ſunt longiùs, & ab Eccleſiæ procul removendi viſceribus, ne diu inultus multa occupans, inſanabilis poſt error increſcat. Si enim diu ſub hac fuerint impunitate verſati, neceſſe eſt multos in hanc ſuæ pravitatem mentis inducant, decipiantque innocentes vel potiùs imprudentes, qui fidem catholicam ſequuntur. Putabunt enim eos rectè ſentire, quos adhuc viderint in Eccleſia perdurare. Separetur ergo à ſano corpore vulnus inſanum, remotoque morbi ſævientis afflatu, cautiùs quæ ſunt ſincera perdurent, & grex purior ab hac mali pecoris contagione purgetur.* Eumdem Eccleſiæ Catholicæ uſum S. Auguſtinus pluribus locis declaravit, maximè verò Epiſtolâ ad Hilarium, primis hæreſeos Pelagianæ temporibus conſcriptâ: (h) *Plures ſunt, quàm ſperare poſſumus, & ubi non redarguuntur, etiam alios ad ſuam ſectam ſeducunt, & ſic crebreſcunt, ut neſciam quò ſint erupturi. Nos tamen malumus eos in Eccleſiæ compage ſanari, quàm ex illius corpore velut inſanabilia membra*

(g) *Epiſt. inter Aug.* 181. *olim* 91. *n.* 8. & 9. [h] *Ep.* 157. *olim* 89. *c.* 3. *n.* 22.

bra resecari , si tamen hoc permittat ipsa necessitas . Timendum est enim ne plura putrescant , dum putribus parcitur . Sed jam redeamus ad monumentum Gregorii S.R. E. Presbyteri Cardinalis tituli S. Clementis.

Quoniam hæc inscriptio posita est *temporibus Sanctissimi Zachariæ Præsulis Summi* , cùm Gregorius ipse foret *Primus Presbyter*, seu Archipresbyter *Almæ Sedis Apostolicæ*, necesse est positam eam fuisse inter annum Christi DCCXLV. quo nondum Gregorius , sed adhuc Joannes erat S. R. E. Archipresbyter , & annum DCCLII. quo Zacharias Papa decessit die XV. Martii. [i] Post annos verò multos quàm posita est inscriptio Gregorii in aliqua insigni Basilicæ parte , rerum humanarum fato translatus est ipse lapis ad altaris fabricam, atque ita quidem , ut pars scripta quæ priùs antica erat & patebat , postica fieret, omniumque oculis eriperetur , ac fuisset porro perpetuæ oblivioni & tenebris tradita, nisi eam eximia Eminentissimi Cardinalis Camerarii ANNIBALIS ALBANI pietas ad memoriam hominum lucemque revocasset. Quod verò huic lapidi contigit, ut ad alium alio tempore usum adhiberetur, sæpe contigisse videmus etiam in Christianorum cœmeteriis , in quibus aliqui lapides ex altera parte profanæ superstitionis , ex altera religionis Christianæ monumentis consignati sunt.

Dixi Gregoriani hujus lapidis translationem multis post ipsius Gregorii mortem annis factam esse, cùm scilicet extrueretur illud altare quod jam dirutum , & magnificentiori apparatu restitutum est; sed idem tamen opinor eam de qua potissimum instituta est hæc disputatio ,

FLA.

[i] *Baron. ad ann. 752. n. 6. & alii.*

FLAVII CLEMENTIS Martyris plumbeam capſulam jam ante Zachariæ Romani Pontificis tempora ſub altari priori fuiſſe poſitam.

§. III.

QUIS SIT FLAVIUS ILLE CLEMENS, CUJUS MEMORIÆ DICATA EST HÆC INSCRIPTIO.

AUguſtinus Oldoinus Societatis JESU eo libro,(K) quem Clementi X. Pontifici Maximo inſcripſit de Clementibus titulo ſanctitatis vel morum ſanctimoniâ illuſtribus, memorat Clementes numero ſeptem & quadraginta, & de ſingulis exſcribit, ſuiſque animadverſionibus illuſtrat ea quæ probati Auctores litteris mandavere. Ex his omnibus duo tantùm ſunt, ad quos pertinere noſtram hanc inſcriptionem ſuſpicari poſſimus, Clemens Papa hujus nominis primus, & T. FLAVIVS CLEMENS vir Conſularis & Domitiani patruelis, uterque Martyr, hic Domitiano, ille Trajano Romanum Imperium tenente.

Ac primùm quoniam hæc inſcriptio reperta fuit in antiquiſſima S. Clementis Papæ & Martyris Baſilica, quibuſdam fortaſſe videbitur ad ipſum S. Clementem Papam ſatis commodè referri poſſe.

Neque verò dubitandum eſt, quin ille Chriſti Martyr fuerit, præſertim cùm S. Hieronymus ineunte ſæculo quinto afferat (l) Rufini verba, quibus appellatur *Clemens*

 Apo-

(K) *Peruſiæ* 1675. *In* 4. (l) *Apol. adv. Ruf. l.2. p.*160. *C. t.*2. *Edit. Rom.*1576.

Apoſtolorum diſcipulus, *qui Romanæ Eccleſiæ poſt Apoſtolos Epiſcopus & Martyr fuit*; eumdemque S. Doctor pluribus ante annis inter Scriptores Eccleſiaſticos retulerit cum hoc elogio: (m) *Obiit tertio Trajani anno*, *& nominis ejus memoriam uſque hodie Romæ extructa Eccleſia cuſtodit*; quo uno confici videtur eum Martyrem fuiſſe illis temporibus habitum. Neque enim aliorum ferè quàm Martyrum nomini Templa, Eccleſiæ, Baſilicæ, Memoriæ dicabantur. Deinde non levis ſanè momenti eſt, quòd in Sacro Miſſæ Canone, quem longè antiquiſſimum eſſe nemo negaverit, Clemens inter Sanctos Martyres appellatur. Præterea Zozimus Romanus Pontifex cùm anno Chriſti 417. ad Africanos Epiſcopos ſcriberet de Cæleſtii Pelagiani cauſa, quam ut diximus, habito conventu in S. Clementis Baſilica cognoverat, Clementem Martyrem Chriſti fuiſſe, *& fidem quam didicerat & docuerat*, *martyrio conſecraſſe* pronuntiat his verbis: [n] *die cognitionis reſedimus in Sancti Clementis Baſilica*, *qui imbutus Beati Petri Apoſtoli diſciplinis*, *tali magiſtro veteres emendaſſet errores*, *tantoſque profectus habuiſſet*, *ut fidem quam didicerat & docuerat*, *etiam martyrio conſecraret*. Zozimi ſententiam ac fidem, ſeu potiùs famam exiſtimationemque communem & vulgatam ſequuntur Patres Concilii primi Vaſenſis anno 442. celebrati, dum S. Clementem Pontificem Romanum vocare non dubitant (o) *Beatum Martyrem*. Jam nullus profertur omnino ante noſtram ætatem ſcriptor, qui diſtinctè negaverit eum Martyrem fuiſſe. Audaciores igitur quàm par eſt illi Critici [p] putandi ſunt, qui nullo ſatis idoneo fundamento,

(m) *Catal. ſcript. Eccleſ. t. 1. p. 174. A. edit. Rom. 1576.* [n] *Concil. Labb. t. 2. p. 1558. E. & in app. tomi x. operum S. Aug. PP. Bened. pag. 98. E.* (o) *Can. v. 1. Concil. Labb. t. III. p. 1458. A. & Hard. t. 1. p. 1788. D.* (p) *Tillem. mem. Eccl. tom. 2. p. 1. art. 5. & not. XII. Sur S. Clement. Baillet Vies des SS. 23. nov. &c.*

to, & contra constantem ac minimè dubiam priorum sæculorum fidem ad nos certis monumentis transmissam vel dubitant, vel prorsus negant S. Clementem Papam hujus nominis primum vitam pro Christo dedisse, ac meritò ab Ecclesia Romana Sanctis Martyribus annumerari. [q]

Sed quamvis id quidem in dubium vocari nolim, non tamen prorsus omnia præstare audeam, quæ temporum posteriorum Scriptores de ejus martyrii loco, ratione, miraculisque narrant. Omnino rectè J. B. Sollerius ad Martyrologium Usuardi, quod summâ eruditione & incredibili diligentiâ illustratum edidit, monuit [r] *plurima in* Clementis *gestis*, *ætate*, *exilio*, *scriptis seu veris seu suppostititiis enodanda superesse*. At illi certè Scriptores in Cherroneso Taurica, non Romæ mortem pro Christi fide S. Clementi Romano Pontifici allatam esse consentiunt; neque ullus est Scriptor paulo antiquior, imò ne recentior quidem, qui eum Romæ passum esse confirmet. Quidquod & ejus reliquiæ nonnisi post annos plures in urbem translatæ dicuntur, scilicet labente sæculo nono, sedente Romæ Nicolao I. vel Hadriano II. Summo Pontifice; & S. Hieronymus eo quem modò protulimus loco scribit *nominis ejus memoriam Romæ custodiri*, corpus Sacrasve Reliquias Romæ suo tempore fuisse non scribit. Sunt etiam qui dubitent, an unquam ejus corpus Romam sit delatum, quod postremum dum probare conatus est Philippus Rondininus erudito opere, [s] summo studio & magno labore nondum tamen perfecit, ut hominibus quales hodie vivunt, paulo magis difficilibus ac morosis omnes dubitandi causas

(q) *Vid. P. Honorè de S. Marie Regles de la crit. t. 1. part. 1. diss. 2. p. 127. &c.*

(r) *Ad diem* XXIII. *Nov. inter acta SS. Junii tom.* VII. *pag.* 694.

(s) *De S. Clemente ejusque Basilica Romæ* 1706. *In* 4.

amoveret. Neque verò res ejuſmodi certis documentis Scriptorum veterum auctoritate nixis & quaſi conſignatis tabulis probari aut poſſunt aut debent. Equidem non modò Eccleſiæ Romanæ, quæ omnium Eccleſiarum mater & magiſtra eſt, fidem pluris facio quàm cetera omnia, ſed etiam Eccleſiæ cujuslibet ſententiam à Majoribus profectam, argumentis ut ajunt negantibus facilè antepono, atque adeo non dubito quin aliquæ S. Clementis Papæ & Martyris Sacræ Reliquiæ in antiqua Baſilica ejus nomini conſecrata ſerventur.

Omitto Clementem Pontificem, non Romanum, ſed Judæum ab aliquibus [t] credi. Nam id quidem leviſſimâ conjecturâ ſuſpicati videntur, cùm pronum ſit eum his temporibus Judæum appellari potuiſſe, & ſe Jacobi filium profiteri, qui licet non Judæus eſſet gente, tamen Chriſtianus foret, ac Judæorum, ſcilicet Apoſtolorum fuiſſet diſcipulus. Sic enim, ne ab iis in quibus ſumus, temporibus recedamus, Dio ſcripſit id quod nonniſi de Chriſtianis poteſt intelligi, [u] multos à Domitiano morti addictos ideo fuiſſe, quòd ad Judæorum inſtituta deflexiſſent. Errant illi multò magis, cùm ajunt eum qui Judæus foret, *Flavium* dici non potuiſſe. Neque verò ego Papam Clementem *Flavium* fuiſſe credo; ſed etſi maximè verum eſſet Clementem Romanum Pontificem fuiſſe Judæum, non obſtaret quominus *Flavius* diceretur, quod nomen Joſephus ille Judæus Judaicarumque rerum ſcriptor eâdem ætate geſſit. Præterea non magis alienum eſſet ab homine Judæo *Flavii* nomen, quàm à Græco. Atqui non longè ab

[t] *Tillelm. mem. tom. 2. De S. Clem. art. 1. pag. 270.* [u] *L. 67. p. 166. A.* *ϗ ἄλλοι ἐς τὰ τῶν ἰȣδαίων ἤθη ἐξοκέλλοντες πολλοὶ κατεδικάσθησαν.*

ab illis temporibus *Titi Flavii Clementis* nomen habuit ille ſanctitate non minùs quàm ſacrarum & profanarum litterarum ſcientiâ clariſſimus presbyter, Pantæni diſcipulus & Origenis magiſter, qui à munere quod Alexandriæ geſſit Alexandrinus dici ſolet. Hujus enim Stromata, ut Euſebius [x] ac Photius (y) teſtantur, nomen præferunt Τίτȣ Φλαβίȣ vel Φλαουίȣ Κλήμεντος, *Titi Flavii Clementis*.

Equidem Clementem Papam civem Romanum potiùs fuiſſe Fauſtini filium, ex regione Cælii montis, eâ nimirum ipsâ, in qua Baſilica ejus nomini dicata eſt jam ante S. Hieronymi tempora, veterum Scriptorum (z) auctoritati & ipſi traditioni ac famæ facilè credo. Fuiſſe verò eumdem ex gente Flavia, & Domitillæ Virginis & Martyris, cui ſacrum virginitatis velum impoſuit, affinem, nonniſi valde incertis vel argumentis vel auctoribus (a) creditur.

Et verò prorſus non cohæret quod in Actis SS. Nerei & Achillei non valde antiquis inducuntur illi ad S. Clementem Papam hæc verba facere: (b) *Scimus tamen Clementem Conſulem patris tui fuiſſe germanum*. Frater enim T. FLAVII CLEMENTIS Conſulis non alius memoratur, quàm Flavius Sabinus, quem dum Suetonius (c) *alterum ex patruelibus* Domitiani vocat, ſatis indicat non plures fuiſſe quàm duos: Clementem verò Papam Flavii Sabini illius qui Clementis germanus frater fuit, & uxorem habuit Juliam Titi Auguſti filiam Auguſtam, filium fuiſſe tam parum ſimile veri eſt, ſi rationem temporum attendamus, ut refelli

(x) *Hiſt. Eccl. l.6. c.13. p.214. B.* [y] *Bibl. Cod.* CXI. *p.287.* [z] *Zoſim. Rufin. Gregor. Turon. Miſſal. Roman. Martyrol. Anaſtaſ. Biblioth. in Clemente.* [a] *Vid. God. Henſch. act. SS. ad diem* XII. *Maii n.2. p.4. tom.* III. & *J. B. Soller. ad Martyr. Uſuardi die* VII. *Maii tom.* VI. *Junii p.256.* (b) *Ibid. Cap.2. n.9. pag.8. F.* [c] *In Domit. c.10.*

felli commentum ejuſmodi non magnopere neceſſe ſit. Deinde quid opus erat Clementem Papam à patrui conſulatu commendare, qui ſi patruum habuit CLEMENTEM Conſulem, commendari veriùs à patris & avi conſulatu poterat? Nam Flavium Sabinum bis conſulem fuiſſe & faſti [d] docent, & Suetonius (e) apertè ſignificat. Hujus verò Sabini pater T. Flavius Sabinus Conſul ſuffectus eſt Kal. Maiis anni V. C. 822. Chr. 69. [f] Jam verò an quiſpiam alius Clemens, ille v. g. qui conſul faſtis aſcribitur anno V. C. 847. Chr. 94. in Chronico Tironis Proſperi, Clementis Papæ patruus aliquo modo dici poſſit, an Clemens vocari debeat qui Lateranus dicitur tum in faſtis Idatianis, tum in Anonymis editis ab Emin. Noriſio, diſquirere nihil opus eſt. Si enim Clemens Papa Domitillæ virginis fuit affinis, quod & Acta illa prædicant, & Henſchenius videtur crediſſe, Clementem Conſulem alium à T. FLAVIO CLEMENTE patruum habere non potuit.

Addi poſſunt hoc loco ea quæ Franciſcus Bivarius (g) annotavit: *Fuit alter ejuſdem nominis Fl. Clemens S. Petri diſcipulus, patruus S. Clementis Papæ, & primus in Gallia Metenſis Epiſcopus; qui obiit in pace confeſſor die XVII. ejuſdem Menſis* (h) *cujus Molanus meminit eo die, & vitam ſcribit Petrus in Catalogo.* [i] *Timeo autem ne forſan ſimilitudine nominis ductus, quæ FLAVII CLEMENTIS Martyris ſunt, huic Confeſſori tribuat. Ait enim fuiſſe Conſulem Romæ, ac S. Clementis Papæ patruum.*

Alii Clementem Papam Octaviæ gentis fuiſſe dicunt, auctore in primis S. Eucherio in Epiſtola ad Valerianum, (K) quo loco de S. Clemente Papa ſcribit his verbis:


(d) *Ad ann. V. C. 835. & 837.* [e] *In Domit. c. 10. & 12.* (f) *Faſti Pigh tom. XI. antiq. Rom. pag. 219.* [g] *Comm. In Fl. Dextrum ad ann. 86. p. 176.* (h) *Novembris.* (i) *L. 10. c. 113.* (K) *Tom. 6. Bibl. PP. Edit. Lugd. p. 859. H. Vide Rondin. de S. Clemente l. 1. c. 1. pag. 4.*

bis : *Clemens vetuſtâ proſapiâ Senatorum atque etiam ex ſtirpe Cæſarum, omni ſcientiâ refertus, omniumque liberalium artium peritiſſimus ad hanc Juſtorum viam tranſiit, itaque etiam in illa excellenter effloruit, ut principi quoque Apoſtolorum ſucceſſor extiterit.* Addunt eo tempore quo maximè fervebat Neronis Imperatoris in Chriſtianos furor, omneſque vel morte plecterentur, vel certè pellerentur urbe quotquot Chriſto nomen dediſſent, Clementi ſoli, quippe Neronis conſanguineo veniam hanc datam fuiſſe, ut in urbe permaneret.

At ſanè Scriptorum antiquiorum nullus Clementem Romanum Pontificem *Flavium* appellavit. Non eſt igitur is de quo jam agimus, *Flavius Clemens Martyr*, Clemens Papa hujus nominis primus. Deinde ſi Clemens Romanus Pontifex hic ſignificaretur, non *Clemens Martyr*, ſed potiùs *Clemens Epiſcopus*, vel *Pontifex & Martyr* appellari debuit. Denique ſi Clemens Papa Romæ mortuus non eſt, minùs rectè, ut opinor, diceretur *hic tumulatus*.

Igitur prorſus neceſſe eſt, ut *Flavius* ille *Clemens Martyr*, cujus eſt hæc inſcriptio, ſit T. FLAVIVS CLEMENS, qui anno ante Domitiani mortem cum ipſo XVII. Conſule conſulatum geſſit, quem annum omnes V. C. 848. Eximius Annalium Eccleſiaſticorum parens Chriſti LXXXXVII. Pagius & alii LXXXXV. numerant.

Supereſt ut de hujus T. FLAVII CLEMENTIS genere, Conſulatu & morte pro Chriſto fortiter tolerata diſſeramus. Ac primùm quæ de illius genere quærimus, fient dilucidiora, ſi totum gentis Flaviæ ſtemma, quale fuit ejus temporibus, diſtinctè propoſuerimus.



1. Vespasius Pollio, *ter Tribunus militum Præfectusque castrorum* fuit, ut docet Suetonius, (l) qui & Vespasiæ gentis splendorem commendat his verbis: *Locus etiam nunc ad sextum milliarium à Norsia Spoletum euntibus, in monte summo appellatur Vespasia, ubi Vespasiorum complura monimenta extant, magnum indicium splendoris familiæ & vetustatis.*

2. Vespasia Polla Vespasii Pollionis filia, mortuo si-

ne

(l) *In Vesp. cap. 1.*

ne liberis, ut ſuſpicari pronum eſt, fratre, quem fuiſſe *Senatorem prætoriæ dignitatis* Suetonius [m] affirmat, Veſpaſiæ domus ſola hæres fuit, atque ideo ab ejus nomine filius Imperator Veſpaſianus cognomen accepit, ut T. Flavius à patre, Veſpaſianus à matris nomine diceretur. De ea nihil admodum Hiſtorici narrant, niſi quòd Veſpaſianum filium ad capeſſendos magiſtratus reluctantem impulit. Is enim, ut narrat idem Suetonius, [n] *Sumptâ togâ virili latum clavum, quamquam fratre adepto, diu averſatus eſt, nec ut tandem appeteret, compelli niſi à matre potuit. Ea demum extudit magis convicio, quàm precibus vel auctoritate, dum eum identidem per contumeliam anteambulonem fratris appellat.*

3. Flavius Liberalis *Ferentini genitus, nec quidquam ampliùs quàm Quæſtorius ſcriba fuit.* (o)

4. Flavia Domitilla Flavii Liberalis filia, [p] *Statilii Capellæ equitis Romani* provincialis, nempe *Sabratenſis ex Africa olim delicata*, mox ubi *ingenua & civis Romana recuperatorio judicio pronuntiata eſt*, Veſpaſiani uxor fuit. Neque verò Flaviam eam dictam fuiſſe quiſquam putat, quòd Flavii Veſpaſiani uxor foret, ſed quòd Flavii Liberalis filia. Hæc autem prima eſt ex quatuor illis feminis, quæ nomen idem hac ætate geſſerunt, obiitque antequam Veſpaſianus imperium adipiſceretur, relictis ex eo liberis Tito & Domitiano, qui poſtea Imperatores fuere, & Flaviâ Domitillâ, quam pariter Veſpaſianus [q] *adhuc privatus amiſit*. Matrem conſecravit Titus conſulatu ſuo VIII. eodemque ultimo, ut veteres nummi docent; reliquarum ejuſdem nominis feminarum in nummis quidem veteribus nulla extat memoria.

F 5. Do-

[m] *In Veſp. c. 1.* (n) *Ibid. c. 2.* (o) *Ibid. c. 3.* [p] *Ibid.* [q] *Ibid.*

5. Domitius Corbulo vir fuit bello ſtrenuus, & diſciplinæ militaris aſper etiam uſque ad ſeveritatis famam exactor, cujus res in Belgio, Syria & Armenia præclarè fortiterque geſtas Dio (r) Tacituſque (ſ) narrant. Is Neronis juſſu è Syria evocatus in Græciam & interemptus eſt, cùm illum omnes quibuſvis præmiis dignum arbitrarentur, ipſe dignum ſe morte fateretur, qui ſe inermem obtuliſſet Tyranno.

6. Domitia Longina Domitii Corbulonis filia nupſit Ælio Lamiæ, quem Dio (t) L. Lamiam Æmilianum vocat, ac deinde [u] à Domitiano in matrimonium abducta eſt, poſtea dimiſſa, mox revocata. Filium habuit Domitianum Cæſarem, & DIVI CAESARIS MATER in nummis appellatur.

7. T. Flavius Petronius *Municeps Reatinus, bello civili Pompejanarum partium Centurio* dicitur à Suetonio, (x) & uxorem habuiſſe Tertullam, quæ nepotem Veſpaſianum educavit in prædiis Coſanis. [y] *Ille Aviæ memoriam tantopere dilexit, ut ſolemnibus ac feſtis diebus poculo quoque ejus argenteo potare perſeveraverit.* Tertullam idem Suetonius intelligit, cùm refert, (z) nato Veſpaſiano *patrem Sabinum haruſpicio inſuper confirmatum renunciaſſe matri, nepotem ei Cæſarem genitum: nec illam quidquam aliud quàm cachinnaſſe, mirantem quòd adhuc ſe mentis compote deliraret jam filius ſuus.*

8. T. Flavium Sabinum T. Flavii Petronii filium, *publicanum & expertem militiæ* fuiſſe Suetonius (a) tradit, quippequi *publicum quadrageſimæ in Aſia egerit*, exactor nimirum ſeu redemptor vectigalis ac portorii illius, quod à Galba de-

(r) *Hiſt. l. 60. p. 685. E. & l. 62. p. 710. A. &c.* [ſ] *Annal. l. 11. & 13. Hiſt. l. 2. cap. 76.*
(t) *L. 66. pag. 746. A.* [u] *Suet. in Domit. c. 1. & Dio l. 67. p. 759. E.*
(x) *In Veſp. c. 1.* [y] *Ibid. c. 2.* (z) *Ibid. c. 5.* (a) *In Veſp. c. 1.*

deinde remiſſum eſſe veteres nummi teſtantur hac epigraphe : QUADRAGENS. REMISSAE, & REMISSAE XXXX. & XL R. Titus Fl. Sabinus uxorem duxit Veſpaſiam Pollam, de qua jam diximus, (b) Veſpaſii Pollionis filiam, ex qua liberos ſuſcepit T. Flavium Sabinum, & T. Flavium Veſpaſianum Imperatorem.

9. T. Flavius Sabinus T. Fl. Sabini & Veſpaſiæ Pollæ filius, T. Fl. Sabini, de quo agemus poſtea, (c) Plautillæ, & noſtri T. FL. CLEMENTIS pater, dum Vitellio Romanam rem tenente Præfectus Urbis, ut ſcribit Tacitus, (d) Veſpaſiani fratris abſentis partes Romæ tuetur, compulſus in templum Jovis Capitolini, & eo ſuccenſo à Vitellianis oppreſſus eſt. (e) Idem videtur hoc ipſo anno V. C. 822. Chriſti LXIX. Conſul fuiſſe ſuffectus Kalendis Maiis, quibus, ut alibi diximus, faſti Pighiani [f] docent ſuffectos Conſules fuiſſe Cælium Sabinum, & Titum Flavium Titi filium Titi nepotem Sabinum. Fuiſſe illum Veſpaſiani fratrem natu grandiorem apparet, tum ex eo quod Suetonius (g) narrat de quibuſdam oſtentis in ejus ac Veſpaſiani ortu; tum quia ipſe patris, Veſpaſianus à matre derivatum cognomen accepit, quemadmodum ferme Veſpaſiani filii duo, major Titus Veſpaſianus à patris nomine, minor ab uxoris Domitiæ nomine Domitianus poſtea dictus eſt; tum denique quia latum clavum diu ante fratrem geſſit, ut ſupra auctore Suetonio (h) diximus.

10. T. Flavius Veſpaſianus Imperator, alter T. Flavii Sabini & Veſpaſiæ Pollæ filius, natus eſt, ut Suetonius [i] perhibet, XV. Kal. Decembris, *Q. Sulpitio Came-*

F 2 *rino,*

(b) *Num.* 2. [c] *N.* 17. [d] *Hiſtor. l.* 3. *cap.* 64. (e) *Sueton. in Vitell. cap.* 15.
(f) *Editi à Grævio tom.* XI. *Antiq. Rom. ad ann. V. C.* 822. [g] *In Veſp. c.* 5.
(h) *In Veſp. c.* 2. (i) *Ibid.*

rino , *C. Poppæo Sabino Coss.* nimirum anno V. C. 762. Christi IX. exeunte, (K) *quinquennio antequam Augustus excederet* . Quare annum expleverat ætatis LIX. agebatque sexagesimum, cùm imperare cœpit anno V.C. 822. Christi LXIX. ipsis Kalendis Juliis , ut vulgò affirmanti Dioni creditur, seu V. Nonas Julii , ut numerant Eusebius in Chronico, Cassiodorus, Clemens Alexandrinus, & Theophilus Antiochenus à Pagio (l) memorati. Imperavit Vespasianus annos ferè decem, vixit annos LXIX. menses septem, diesque pariter septem. Nam *extinctus est*, ut scribit Suetonius, (m) *VIII. Kal. Julii annum gerens ætatis sexagesimum ac nonum*, *superque mensem ac diem septimum* , nimirum ab die XVII. Novembris anni V. C. 762. Christi IX. ad diem Junii XXIV. anni V. C. 832. Christi LXXIX. Itaque ad annos Imperii decem absolvendos defuerunt dies sex, si cum Dione imperii ejus initium referimus ad Kalendas Julias , septem si ad V. Nonas Julias cum Eusebio aliisque imperare eum cœpisse dicimus , octo si quod multi faciunt , eum diem quo vivere desiit, non annumeramus.

11. Titus vivo etiamnum patre Vespasiano ascitus est in aliquam Imperii partem , scilicet postquam expugnatâ Hierosolymâ victor Romam rediit; (n) *neque ex eo destitit participem atque etiam tutorem Imperii agere . Triumphavit cum patre , Censuramque gessit unà . Eidem collega & in Tribunitia potestate , & in septem Consulatibus fuit* . Quare IMPerator appellatur in nummis latinis, ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ in Græcis, & TRibunitiâ POTestate COnSul, & AVGur & PONTifex, & CENSOR . Non tamen rerum potiri , aut AVGVSTVS

aut

(K) *Petav. de Doctr. temp. l. XI. cap. 16. pag. 326.* (l) *Crit. in Ann. Baron. ad ann. Chr. 79. p. 72.*
[m] *In Vesp. c. 24.* [n] *Suet. In Tito cap. 6.*

aut Pontifex Maximus dici cœpit nisi post patris mortem VIII. Kal. Julii anno V. C. 832. Christi LXXIX. imperiumque solus tenuit annos duos, menses duos ac dies viginti, usque ad Idus Septembres anni V. C. 834. Christi LXXXI. Natus erat, ut refert Suetonius [o] *III. Kal. Januarii insigni anno Cajanâ nece*, hoc est, ut quidem interpretor, XXX. Decembris anni V. C. 793. æræ Christianæ XL. diebus XXV. antequam Cajus ille quem Caligulam dicunt, periret *IX. Kal. Februarias* [p] V. C. 794. Christi XLI. Atque ita annus quo Titus natus est, *insignis* fuit *Cajanâ nece*, sive quia anno Titi primo Cajus cæsus est, sive quia, ut Petavius (q) mavult, labente eodem Urbis anno à Palilibus numerato, & Titus natus est III. Kal. Januarias & Caligula cæsus IX. Kal. Februarias. Vixit igitur Titus annos XLI. nimirum non integros, à die XXX. Decembris anni Christiani XL. ad XIII. diem Septembris anni ejusdem æræ LXXXI. quæ est Suetonii ratio: (r) *Excessit in eadem, qua pater, villa, Idibus Septembris, post biennium ac menses duos, diesque XX. quàm successerat patri, altero & quadragesimo ætatis anno;* his enim verbis, *altero & quadragesimo*, non annum ætatis XLII. sed XLI. scilicet inchoatum Scriptor latinus designare debuit. Si verò cum Ricciolio [s] poneremus Titum natum esse die XXX. Decembris anno V. C. 794. Christi XLI. dicendum esset eum vixisse tantùm annos XXXIX. menses octo, dies XIV. quod omnino cum Suetonii verbis non cohæret.

12. Juliam Titi Augusti filiam, ipsamque *Augustam* nummi prædicant. Matrem ejus Suetonius (t) docet fuisse Marciam Furvillam, *splendidi generis* feminam, quam Titus duxe-

(o) *In Tito c.2.* [p] *Suet. in Calig. c.58.* (q) *De Doctr. temp. l.XI. c.18. p.328.*
(r) *In Tito c.XI.* [s] *Chron. reform. l.4. c.8. n.10. p.192. & 193.* (t) *In Tito cap.4.*

duxerat poſt Arricidiæ prioris uxoris mortem, & *cum qua, ſublatâ filiâ, divortium fecit*. Juliam Titi Flavii Sabini uxorem paulo poſt mariti necem Domitianus non modò *ardentiſſimè palamque dilexit*, ut ſcribit Suetonius, (u) ſed & uxorem duxit, ſi Philoſtrato credere malumus, (x) Ἰȣ́λιαν ἤγετο, quàm Tillemontio (y) Philoſtratum erroris accuſanti. Julia certè paulopoſt obiit, atque à Domitiano conſecrata eſt, ut ejus nummi teſtantur cuſi Domitiano XV. & XVI. Conſule, annis V. C. 843. Chriſti XC. & tribus conſequentibus.

13. Domitianus Imperator, alter Imperatoris Veſpaſiani filius, *natus eſt*, inquit Suetonius (z) *IX Kal. Novembris, patre Conſule deſignato, inituroque menſe inſequenti honorem*, ſcilicet anno V. C. 804. Chriſti LI. quo Veſpaſianus primum conſulatum geſſit, Conſul ſuffectus ad duos poſtremos anni menſes. Domitianus cœpit imperare poſt fratris mortem Idibus Septembris anni V. C. 834. Chriſti LXXXI. cùm antea & Præturam Urbanam & conſulatus ſeptem geſſiſſet. Vivere deſiit poſt annos Imperii XV. & dies quatuor, anno V. C. 849. Chriſti XCVI. (a) *XIIII. Kal. Octobris anno ætatis XLV*, ſcilicet non prorſus completo. Vixit enim, quod Xiphilinus (b) ex Dione tranſcripſit, annos XLIV. menſes X. dies XXVI.

14. Domitianus Cæſar Domitiani Imperatoris & Domitiæ Longinæ filius obiit adhuc puer, quippe natus Imperante jam patre, & ante XII. ejus Imperii annum mortuus. Quare in nummis veteribus Domitiæ matris, nonniſi puer apparet jam conſecratus & cum DIVI appellatione.

15. Fla-

[u] *In Domit. cap. 22.* (x) *Vit. apoll. l. VII. cap. olim 3. jam 7.* [y] *In vita Titi.*
[z] *In Domit. cap. 1.* [a] *Sveton. In Domit. cap. 17.* (b) *L. 67. pag. 678. B.*

15. Flavia Domitilla Veſpaſiani Imperatoris & Flaviæ Domitillæ filia [c] obiit antequam pater Imperium obtineret. Cui nupſerit, Scriptores non prodidere; verùm dubitari non poteſt, quin alterius Flaviæ Domitillæ mater fuerit, quam Domitianus T. FLAVIO CLEMENTI, de quo jam diſputamus, in matrimonium collocaverit, ut mox dicemus.

16. Flavia Domitilla illius quam modò appellavimus, Flaviæ Domitillæ filia, prioris Flaviæ Domitillæ & Veſpaſiani neptis, ipſa eſt quam T. FLAVIVS CLEMENS duxit uxorem, & quæ poſt viri necem in Pandatariam inſulam deportata eſt. Eam Xiphilinus ſeu Dio (d) vocat Domitiani συγγενῆ, propinquam vel conſanguineam, quo nomine ſororem non ſatis rectè vocaret, ſed ſororis filiam rectiùs vocare potuit. Quamquam, ut ingenuè fatear, vocem hanc συγγενῆ & ab aliis, & à Dione præſertim uſurpatam obſervavi ad eum deſignandum, qui frater germanus eſſet. Sed quod Philoſtratus in vita Apollonii creditur de Domitiano ſcripſiſſe, (e) ejus juſſu interemptum fuiſſe CLEMENTEM, cui ſororem ſuam uxorem dederat, Κλήμεντα ἀπεκτονὼς ἄνδρα ὕπατον, ᾧ τὴν ἀδελφὴν τ̃ ἑαυτῦ ἐδεδώκει, vitio librariorum factum id eſt, qui ἀδελφὴν pro ἀδελφιδῆν ſcripſere, ut jampridem eruditi viri judicarunt, atque inprimis Gottfridus Olearius, qui elegantiſſimam Philoſtratorum editionem procuravit. [f] Et verò vox ipſa ἐδεδώκει, quâ Philoſtratus utitur, ſatis indicat non hic agi de Domitiani ſorore, ſed de ſororis filia. Sororem enim Domitiani non Domitianus, ſed Veſpaſianus pater in

(c) *Sueton. In Veſp. cap. 3.* (d) *L. 67. pag. 766. A.* (e) *L. VIII. cap. olim 10. jam 25.*
[f] *Lipſiæ ann. 1709. fol.*

in matrimonium collocare debuit, atque adeo collocaverat; verùm ſororis filiam, ἀδελφιδῆν, præſertim matre mortuâ, Domitianus jure dicitur in matrimonium collocaſſe, ἐδεδώκει. Atque ita Philoſtratus Quintiliano conſentit, cui Domitianus hujus Domitillæ filios (g) *ſororis ſuæ nepotes* inſtituendos dederat. Illi enim *ſororis nepotes*, ſi Quintilianum celeberrimum illis temporibus latinæ linguæ & artis oratoriæ magiſtrum latinè ſcripſiſſe arbitramur, non ſanè ſunt ſororis filii, multò minùs nepotes ex ſorore, ut Turnebus (h) interpretatur, ſed omnino filii ſunt ejus, quæ matrem habuit Domitiani ſororem. *Sororis nepotes* vocantur latinè, non qui ex ſorore, ſed qui ex ſororis filio filiâve nati ſunt. Ita Suetonius (i) ac Tacitus (K) Octavium Auguſtum C. Julii Cæſaris *ſororis nepotem* meritò appellant, quippe qui filius fuerit Acciæ, quæ (l) *M. Accio Balbo, & Juliâ ſorore* Caii *Cæſaris genita* ſit. Si verò Philoſtratus ἀδελφήν ſcripſit, non ἀδελφιδῆν, nihil ſupereſt niſi ut Baronium (m) ſequamur, qui affirmare non dubitat Philoſtratum ea in re *hallucinatum* eſſe, & nominum ſimilitudine deceptum matrem pro filia nominaſſe.

17. T. Flavius T. Flavii F. Titi Flavii N. Sabinus, *alter ex* Domitiani *patruelibus*, (n) ut eum Suetonius appellat, noſtri T. FLAVII CLEMENTIS frater, & quidem major, ut cenſet Tillemontius, (o) Imperatoris Domitiani juſſu occiſus eſt, *quòd eum Comitiorum Conſularium die deſtinatum, perperam præco non Conſulem ad populum, ſed Imperatorem pronunciaſſet*. Idem videtur eſſe, quem faſti Domitiano in conſulatu gerendo collegam ponunt anno V. C. 835. Chriſti

(g) *Quintil. Inſt. l. 4. prol.* (h) *Ad hunc locum Quintiliani.* (i) *In Jul. c. 83.*
(K) *Annal. l. 3.* [l] *Suet. in Octav. c. 4.* [m] *Ad ann. 98. n. 5.* [n] *In Domit. cap 10.*
(o) *Tom. 2. part. 1. mem. Eccl. edit. Brux. ann. 1695. pag. 224.*

ſti LXXXII. atque iterum anno V. C. 837. Chriſti LXXXIV. Mortis cauſa fuit leviſſima affectati Imperii ſuſpicio. Quare non dubium videtur, quin de illo ſit intelligendum id quod Suetonius [p] refert : *Generum fratris indignè* ferens albatos & ipſum miniſtros habere proclamavit, οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, [q] *non decet multos imperare*. Is enim Titi gener fuit, atque uxorem duxerat Juliam Titi Auguſti filiam, ut jam advertimus, & narrat Philoſtratus. [r] Potuit & cauſa inferendæ mortis accedere, ut cum Julia licentiùs Domitianus viveret, quam [ſ] *adhuc virginem oblatam in matrimonium ſibi, cùm devinctus Domitiæ nuptiis pertinaciſſimè recuſaſſet, non multo poſt alii collocatam ultro corrupit, & quidem vivo etiam tum Tito : mox patre ac viro orbatam ardentiſſimè palamque dilexit, ut etiam cauſa mortis extiterit, coactæ conceptum à ſe abigere*. Quo ſcelere Domitianus etiam Poetarum [t] ſales & reprehenſionem non effugit.

18. Plautilla T. Flavii Sabini filia, T. Flavii Sabini & noſtri T. FLAVII CLEMENTIS ſoror, Flaviæ Domitillæ Chriſtianæ Virginis & Martyris mater fuit. Eam ab Apoſtolo Petro fuiſſe Chriſtianæ fidei præceptis imbutam, ac baptizatam, & anno poſt S. Petri mortem nondum expleto, die XX. Maii, quo die memoriam ejus Sacri Faſti celebrant, *in pace* vivere deſiiſſe colligitur ex iis actis quæ Bollandiſtæ referunt [u] ad diem XX. Maii. De ea pauca ſunt quæ ſcribit Euſebius.

19. Flavia Domitilla Virgo & Martyr, Plautillæ, quæ FLAVII noſtri CLEMENTIS ſoror erat, filia, ἐξ ἀδελφῆς γεγονυῖα Φλαβίου Κλήμεντος, ut ſcribit Euſebius [x], ab

G Apo-

(p) *In Domit. c.12.* (q) *Ex Hom. Iliad. A.* (r) *Vita Apoll. l.* VII. *cap. olim 3. jam 7.*
(ſ) *Suet in Domit. c.22.* (t) *Juvenal ſat. 2. v. 30. &c.* (u) *Tom.* V. *Maii p. 172.* *
(x) *Hiſt. l. 3. cap. olim 14. jam 18.*

Apoſtolo Petro Chriſtianis Sacris initiata & cum matre ſimul baptizata eſt. Hujus memoriam jam ab annis admodum mille agit Eccleſia Romana die VII. & die XII. Maii, tanquam Sanctæ Virginis ac Martyris. Primùm enim in inſulam Pontiam relegata anno Domitiani XV. ut ex veterum Scriptorum, etiam à religione Chriſtiana alienorum monumentis deſcripſit Euſebius: [y] deinde Trajano Imperante mortem pro Chriſti fide ſubiit. Exilii in Pontiam inſulam à Domitiano imperati, & cellularum, in quibus Sancta Virgo longum martyrium duxerat, meminit S. Hieronymus [z] epiſtolâ illâ ad Euſtochium, quâ epitaphium Paulæ matris continetur. Cetera quæ ad ipſam pertinent, eruuntur ferè omnia ex actis SS. Martyrum Nerei & Achillei, quibus, ut jam quidem extant, non magnam fidem habent Eruditi, tum quia non videntur niſi aliquot poſt ejus mortem ſæculis aut digeſta, aut in linguam latinam translata, tum quia & *dialogiſmis* inanibus referta, & non paucis præterea Manichæorum erroribus aſperſa cenſentur. Ea edita ſunt inter *Acta ſanctorum*. [a]

Quatuor itaque feminæ ſunt in hoc ſtemmate, quæ idem Flaviæ Domitillæ nomen geſſerunt; prima Veſpaſiani uxor; ſecunda hujus filia, quæ cui tradita ſit in uxorem, deprehendere non potui; tertia ſecundæ filia & primæ neptis, Chriſtiana & noſtri T. FLAVII CLEMENTIS uxor; quarta T. Flavii Sabini neptis, & Plautillæ filia, Virgo & Martyr. De quinta quam aliqui memorant, alius erit diſſerendi locus. Primæ ſolius extant nummi. Nam is quidem, quem Godefridus Henſchenius ex Huberto

(y) *Ibid.* (z) *Tom.* I. *epiſt.* 27. *pag.* 105. *A. edit. Rom. ann.* 1595.
(a) *Ad diem* XII. *Maii tom.* III. *p.* 6.

berto Goltzio desumptum sic describit : [b] MEMORIAE DOMITILLAE DIVI VESP F S P Q R *circum speciosissimam bigam à duabus mulis protractam* , ex altera parte PP IMP CAES DOMIT AVG GERM PM TR P III IMP V COS X. vel totus fictus est , vel ex aliquo cujus litteræ non erant conspicuæ, malè descriptus. Omitto inscriptionem si esset vera , sic legi debuisse, ut PP ejus finem obtineret, non principium. Nummi Domitillæ genuini, qui & in m. n. sunt & passim occurrunt , SC percussi , sunt omnes ex ære magno, neque caput ejus præferunt , sed ex antica parte carpentum à mulis duabus tractum cum epigraphe, MEMORIAE DOMITILLAE. Paucos vidi, in quibus legitur DOMITILLAE IMP VES AVG *Imperatoris Vespasiani Augusti* , scilicet uxori. Infra carpentum S P Q R. In parte aversa scriptum est : IMP T CAES DIVI VESP F AVG PM TRP PP COS VIII cum SC in area. Sic & Juliæ Titi filiæ nummus est ex ære magno sine ejus capite cum eadem carpenti forma , & epigraphe, DIVAE IVLIAE AVG DIVI TITI F. In altera pagina , IMP CAES DOMIT AVG GERM COS XV CENS P PP. in area SC. Alter similis habet COS XVI. Uterque est in m. n. Nimirum Titus matrem , fratris filiam Domitianus consecravit.

20. Devenimus tandem ad T. FLAVIVM CLEMENTEM T. Flavii Sabini filium, T. Flavii Sabini nepotem, atque adeo Vespasiani Imperatoris fratris filium, Titi & Domitiani patruelem , qui post gestum cum Domitiano consulatum, pro Christi fide, & quòd Romanorum Deos colere nollet, à Domitiano mori jussus est, ejus conjuge

 Fla-

(b) *Acta SS. Maii tom. III. pag. 9.*

Flaviâ Domitillâ pariter Christianâ in insulam Pandatariam seu Pandariam, quæ in sinu Puteolano sita est, deportatâ. Quæ cùm ita sint, & Scriptorum Christianorum exterorumque testimonio certissima, quis non vehementer miretur cum Augustino Oldoino, [c] quòd *tanti viri tabulæ Ecclesiasticæ & Martyrologia non meminerint*? Et verò licet Martyrologium Romanum præter Clementem Papam & Martyrem, Clementes alios Martyres tres commemoret, silet planè de hoc nostro, neque quidquam habent Menæa Græca, quod præsertim ad hunc possit referri. Quapropter rectè conjicit Baronius, [d] *quòd ejus mentio nulla vel in Martyrologio vel antiquis monumentis habeatur, injuriâ temporum id evenisse, factumque esse, ut si qua ejusdem Clementis nobilissimi Martyris memoria reliqua esset post nostrarum scripturarum Diocletiani tempore facta naufragia, omnes Clementem Romanum Pontificem mente concipientes, unum eumdemque nominibus confusis atque personis Clementem esse existimarint.* Hinc adeo factum est, ut cum T. FLAVIVS CLEMENS Vespasiani fratris filius, Titi & Domitiani patruelis fuisse à veteribus Scriptoribus Græcis Latinisque perhibeatur, alii, quod jam observavimus, Clementem Papam Imperatoribus illis ex gente Flavia, alii etiam Neroni consanguinitate propinquum esse crediderint. Et eodem fortasse errore contigit, ut ossa T. FLAVII CLEMENTIS in Basilicam S. Clementis Papæ & Martyris translata sint. Nos tamen quæ possumus quocumque modo de eo disputare pergemus, & tanquam tabulas è naufragio colligere, postquam de ejus filiis disseruerimus, quæ pars nobis postrema restat ad S Martyris genus explicandum.

21. T. FLAVII CLEMENTIS Martyris & Flaviæ Do-

(c) De Clem. p. 319. (d) Ad ann. Chr. 98. n. 7.

Domitillæ filii duo illi ſunt, *quorum alterum*, ut ſcribit Suetonius, [(e)] *Veſpaſianum, alterum Domitianum appellari* Domitianus *juſſerat*, & *ſucceſſores palàm deſtinaverat*, tradideratque Fabio Quintiliano erudiendos & educandos, quod ipſe teſtatur his verbis: [(f)] *Cùm verò mihi Domitianus Auguſtus ſororis ſuæ nepotum delegaverit curam*. Scribebat hæc Quintilianus poſt abſolutos tres priores operis ſui libros, atque adeo ætatis ſuæ anno primo & quinquageſimo, Imperantis Domitiani XII. & XIII. V. C. 846. Chriſti XCIII. ut colligitur ex Annalibus Quintilianeis, [(g)] quos eruditè digeſſit Henricus Dodwellus. Quid illis deinde factum fuerit, Scriptores non docent. Chriſtianamne fidem amplexi ſint, adhortantibus & exemplo præeuntibus patre & matre, meritò dubium eſt. Quod enim ſcribit Ludovicus Aurelius Peruſinus in Epitome Annalium Baronii, [(h)] de Domitiano: *Flavium Clementem patruelem Exconſulem, & ut quidam tradunt, duos inſuper ejus filios, quos jam Cæſares deſtinaverat, ob Chriſti fidem mactari jubet*: a quibus id tradatur, neſcio; a veteribus Scriptoribus, qui FLAVII CLEMENTIS meminerunt, ipſoque Baronio non tradi ſcio. At cùm illi per aliquot annos, nempe a XII. ad XV. annum Domitiani ſummâ apud Imperatorem gratiâ floruerint, atque Imperii ſucceſſores fuerint palàm deſtinati, fieri facilè poteſt, ut alter ille, cui Domitianus Veſpaſiani nomen dedit, exhibeatur nummo eo ſingulari, quem primus protulit R. P. Harduinus [(i)] ex Muſæo R. P. Billerez Soc. Jeſu. Æreus eſt tertii fermè moduli cum Juvenili capite nudo & ſin. converſo, & epigraphe, ΟΥΕϹΠΑϹΙΑΝΟϹ ΝΕΩΤΕΡΟϹ ℞. ΖΜΥΡΝΑΙΩΝ.

(e) *In Domit. cap.* 15. (f) *Inſtit. l.* 4. *prol.* (g) *Pag.* 117. §. XXI. *&c.*
(h) *Ad ann.* 98. *p.* 94. (i) *Oper. Sel. pag.* 733. *col.* 2.

ΡΝΑΙΩΝ. (K) Victoria gradiens d. tenet d. coronam. *Vespasianus Junior. Smyrnæorum* nummus. Atque hunc quidem Vespasianum Juniorem R. P. Harduinus censet filium fuisse Imperatoris Vespasiani, & Domitillæ, quam secundam Vespasiani uxorem fuisse statuit, atque ex eo Flavios Constantinos originem ducere. Verùm, si Suetonio (l) credimus, Vespasianus ex Domitilla, quæ prima ipsius uxor fuit, quamque *adhuc privatus amisit*, non alios *liberos tulit*, quàm *Titum & Domitianum & Domitillam.* Itaque Vespasianus ille Junior, si ex secunda uxore natus esset, fuisset filius *Cœnidis*, quam *Antoniæ libertam & à manu*, *dilectam quandam sibi revocavit in contubernium*, *habuitque etiam Imperator penè justæ uxoris loco*. Laurentius Patarolus æstimator harum rerum peritissimus, qui nummum similem edidit ex Musæo Theupolo, (m) eum tribuit Tito, qui vivo patre dictus sit Vespasianus Junior, νεώτερος. Et verò quamvis Titi prænomen hic non appareat, quod in aliis plerisque Titi nummis latinis græcisque scribi solet, satis eum secernit à patre *Junioris* appellatio, magis etiam quàm appellatio Titi, quæ nimirum fuit ipsi cum patre communis. Erat enim uterque Titus Flavius Vespasianus; sed Flavii nomen neuter gessit in nummis Romæ percussis, uterque raro gessit in nummis Coloniarum & Græcarum urbium; Titi verò prænomen ut filio potiùs quàm patri nummi veteres Scriptoresque tribuerent, non certa ratio, sed usus & consuetudo fecit. Sanè Victoria illa gradiens, quam hic Smyrnæorum nummus præfert, vel in clypeo palmæ appenso scribens, sæpe occurrit in nummis Titi græcis pariter ac latinis. Qui-

(K) *Hæc est in ipso nummo litterarum forma.* (l) *In Vesp. cap. 3.*
(m) *Giorn. d'Ital. tom. 28. p. 310. Vid. & tom. 29. pag. 241.*

Quibus tamen minùs placebunt hæ virorum eruditiſſimorum conjecturæ, videant num illa *Veſpaſiani Junioris* appellatio tribui poſſit alteri ex FLAVII CLEMENTIS noſtri filiis, quem Domitianus *Veſpaſianum appellari juſſerat, & ſucceſſorem palàm deſtinaverat*. Alter, cui *Domitiani* nomen fuit, is fortaſſe eſt, a quo ſe oriundum jactabat *Domitius* ille *Domitianus, Dux Aureoli fortiſſimus & vehementiſſimus*, de quo paucis agit Trebellius Pollio. [n]

Explicato T. FLAVII CLEMENTIS genere, quæ de ipſo nominatim ſuperſunt dicenda breviter expediemus. Anno præſertim Domitiani XV. qui fuit V. C. 848. Chriſti XCV. Domitiani furor in Chriſtianos exarſit, ut Euſebius veterum Scriptorum etiam Gentilium auctoritatem ſecutus docet his verbis: [o] *Scriptores quoque a religione noſtra alieniſſimi etiam tempus ipſum perſecutionis accuratè notaverunt. Scribunt enim anno principatus Domitiani quintodecimo Flaviam Domitillam, FLAVII CLEMENTIS ejus qui tunc temporis Romæ Conſul erat, ſororis filiam unà cum aliis plurimis ob confeſſionem Chriſti in Inſulam Pontiam fuiſſe deportatam.*

De T. FLAVII CLEMENTIS morte ac martyrio quid Suetonius [p] & Dio, [q] quid deinde Euſebius Chriſtianique Scriptores referant, tam diligenter, tam eruditè Baronius exſcripſit, ut Antonius Pagius nihil repererit, quod vel adjungi poſſet, vel deberet emendari. [r] Suetonius quidem hæc pauca prodidit: [ſ] *Denique FLAVIUM CLEMENTEM patruelem ſuum, contemptiſſimæ inertiæ, cujus filios etiamnum parvulos ſucceſſores palàm deſtinaverat, & abolito priore nomine, alterum Veſpaſianum appellari juſſerat, alterum Domitianum,*

repen-

(n) *Trig. tyr. c. 11. p. 191. B.*
(o) *Hiſt. l. 3. cap. olim 14. jam 18.* ἐν ἔτει πεντεκαιδεκάτῳ Δομετιάνȣ &c.
(p) *In Domit. c. 15.* (q) *L. 67. p. 766. A.* (r) *Ad ann. Chr. 96. Baronii 98.* [ſ] *In Domit. c. 15.*

repentè ex tenuiſſima ſuſpicione tantum non ipſo ejus conſulatu interemit. Quo maximè facto maturavit ſibi exitum. Quòd Suetonius CLEMENTEM *contemptiſſimæ inertiæ* accuſat, ideo facit, ut egregiè Baronius [t] advertit, *quòd Chriſtiani tranquillioris vitæ cupidi ac proinde pacifici, urbanos ſtrepitus ac Palatii ac Curiarum tumultus vitare ſolerent. Vetus enim ac frequens hæc erat in Gentilium ore in Chriſtianos ſolita jactari contumelia, nimirum quòd eſſent inertes; quam quidem refellens Tertullianus hæc ait:* [u] Sed alio quoque injuriarum titulo poſtulamur, & infructuoſi in negotiis dicimur. *Sed in pravis operibus Chriſtianos omnino frigidos inerteſque ſe habere, in bonis autem ſtudioſos ac ſedulos eſſe, pluribus monſtrat. Quamobrem quod erat ſummæ virtutis ſpecimen in CLEMENTE, quòd, cùm filios Imperatores poſſet habere, dummodo eadem quæ Domitianus numina coleret, prætuliſſet his omnibus ignominiam Crucis, Suetonius contemptiſſimæ aſcribit inertiæ.*

Dio verò Caſſius FLAVII CLEMENTIS mortem mortiſque cauſam breviter ita narrat: [x] *Eodem anno*, ſcilicet Domitiani XV. *Domitianus cùm alios multos, tum verò FLAVIUM CLEMENTEM Conſulem, etſi patruelis ejus erat, ac Flaviam Domitillam & ipſam Domitiani conſanguineam uxorem habebat, morte affecit, illato ambobus crimine impietatis. Quo crimine plures etiam alii Judaicos ad ritus exorbitantes damnati fuerunt: quorum pars occiſa eſt, pars ſpoliata facultatibus. Domitilla in Pandatariam relegata eſt.*

Cùm igitur Faſti omnes Domitiani Imperatoris & CLEMENTIS nomina præferant ad annum V. C. 848. æræ Chriſtianæ XCV. Domitiani XV. CLEMENS cum Domitiano annum aperuit, ut ajunt, & faſces ſumpſit ipſis Kalendis Januariis, geſſitque ex temporum illorum inſtituto

(t) *Ad ann. Chr. 98. n. 1.* [u] *In Apol. c. 42. &c.* [x] *T. 67. p. 766. A.* κἂν τῷ αὐτῷ ἔτει &c.

to per menſes duos, nondum ut quidem arbitror, Chriſtianus. Neque enim faſces aut Domitianus offerre Chriſtiano tam infenſus Chriſtiano nomini, aut oblatos recipere homo Chriſtianus cum illis, qui tum vigebant ſacrificiorum ac profanarum cærimoniarum ritibus, potuiſſe mihi videtur. Ad Conſulum quippe dignitatem transferri poteſt id, quod de Cæſaribus Tertullianus pronunciavit: [y] *Cæſares credidiſſent ſuper Chriſto, ſi aut Cæſares non eſſent ſæculo neceſſarii, aut ſi & Chriſtiani potuiſſent eſſe Cæſares*. Eſt itaque verius, T. FLAVIVM CLEMENTEM poſt abſolutos duos Conſulatus ſui menſes Chriſtianis Sacris imbutum eſſe, quæ jam ante annos admodum undetriginta Plautilla ſoror, & Flavia Domitilla ſororis filia a S. Petro Apoſtolorum principe didicerant; ad eadem acceſſiſſe Flaviam Domitillam conjugem, atque ubi res innotuit Domitiano, CLEMENTEM ſub hujus anni finem ejus juſſu interemptum, Domitillam paulopoſt relegatam fuiſſe, aliquot menſibus antequam Domitianus ipſe occideretur. Atque ita verè ſcripſit Dio [z] *CLEMENTEM à Domitiano mori juſſum*, non ὑπατεύσαντα, *qui Conſul fuerat*, ſed omnino ὑπατεύοντα, *qui Conſul tum erat*, cujus nomine hic ipſe annus numerabatur; & Philoſtratus [a] ἄνδρα ὕπατον, *Conſulem* non *Conſularem*; & Euſebius [b] ἕνα τῶν τηνικάδε ὑπάτων, *unum ex iis qui tum erant Conſules*. Quare ad ſenſum & Dionis & Philoſtrati & Euſebii manifeſtum accommodari neceſſe eſt hæc Suetonii verba: [c] *tantumnon ipſo ejus conſulatu interemit, quo maximè facto maturavit ſibi exitum*. Liceat igitur in rebus ejuſmodi conjicere, Flaviam Domitillam non ſtatim a mariti nece, quod quidem Philoſtratus (d) indicat,

---

(y) *Apol. c. 21. pag. 22. edit. Pariſ. 1641.* (z) *L. 67. pag. 766. A.* (a) *Vit. Apoll. l. 8. c. 25.* (b) *Hiſt. l. 3. cap. olim 14. jam 18.* [c] *In Domit. c. 15.* (d) *Vit. Apoll. l. 8. c. 10.*

dicat, in exilium fuiſſe deportatam, & illam in Domitiani caput conjurationem, cujus participes fuiſſe Chriſtianos minimè credibile eſt, paulatim coaluiſſe, & poſt decem ferè à T. FLAVII CLEMENTIS morte menſes adultam tandem erupiſſe, atque ita Domitianum a Stephano Domitillæ procuratore & aliis conjuratis, quos Suetonius [e] appellat, fuiſſe interemptum *XIV. Kal. Octobris* anni ſequentis, qui fuit V. C. 849. æræ Chriſtianæ XCVI.

Jam verò quo potiſſimum die T. FLAVII CLEMENTIS mors [f] *pretioſa in conſpectu Domini* contigerit, non ita facile eſt definire. Et ille quidem qui Chronicon mentito Flavii Lucii Dextri nomine vulgavit, hæc appoſuit ad annum Chriſti LXXXVI. (g) *FLAVIUS CLEMENS vir Conſularis occiditur pro fide viceſimo primo Novembris, familiaris Martiali*; quo die Martyrem aliquem Clementem nomine Romæ coli pauci, nec ſatis certis auctoribus produnt. (h) Nullus certè Clemens ad diem Novembris XXI. appellatur in Martyrologio Uſuardi, quod R. P. Joannes Baptiſta Sollerius (i) illuſtravit. Et hunc tamen Clementem eſſe oportet, quem Pſeudo-Dexter FLAVIUM CLEMENTEM virum Conſularem fuiſſe vel credidit, vel ab aliis credi voluit. Sed qui martyrii diem ipſum ſtatuere auſus eſt, ſic erravit in anno aſſignando, ut excuſari aut defendi temeritas ejus nequeat. Nullo enim pacto mori potuit anno LXXXVI. vir ille *Conſularis*, quem conſtat non fuiſſe *Conſulem* niſi anno XCV. Quod addit Pſeudo-Dexter FLAVIUM CLEMENTEM fuiſſe *familiarem Martiali*, neſcio unde deſumpſerit. Sanè perleve hujus rei affirmandæ fundamentum

tum

(e) *In Domit. c.* 17. [f] *Pſalm.* CXV. 15. [g] *Pag.* 176. *edit. Lugd. fol. ann.* 1627.
(h) *Vide Florentinium ad diem* XXI. *Novembris pag.* 990. [i] *Inter Acta S S. tom.* VII. *Junii pag.* 689.

tum habuit in uno Martialis epigrammate [k] ſcripto ad *Clementem* quemdam, qui qualis quiſve fuerit, ex ipſo epigrammate deprehendi non poteſt. Sed nimirum ille rerum Hiſpanicarum ultra quàm veritas patitur, ultra etiam quàm Hiſpani ipſi velint, glorioſus oſtentator, cùm T. FLAVIVM CLEMENTEM virum Conſularem aç Martyrem, Hiſpanum facere honeſtè non poſſet, facere certè voluit Hiſpano familiarem.

At quoniam aliquot Martyrologia vetera, inprimis illud quod S. Hieronymo tribuitur, editum a Franciſco Maria Florentinio, [l] & alterum, cujus fragmentum editum eſt ab Ægidio Bucherio, [m] præter cetera quæ Florentinius [n] recenſet, duos Clementes Martyres ponunt Novembri menſe, alterum ad IX, [o] non VII. ut ſcribunt [p] quidam, Novembris diem, [q] alterum ad tertium & viceſimum, [r] facilè adducor ut ſuſpicer T. FLAVIVM CLEMENTEM virum Conſularem illum eſſe, qui nono Novembris die paſſus eſſe dicitur cum Simprono, vel ut in Martyrologii fragmento Bucheriano [ſ] dicitur, Semproniano, vel quemadmodum R. P. Joannes Baptiſta Sollerius edidit inter *Auctaria* ad Martyrologium Uſuardi, [t] Simphroniano, fortaſſe pro Symphoriano. Nam is cujus memoria recolitur Romæ die Novembris XXIII, & quem pleraque Martyrologia Epiſcopum & Martyrem vocant, alius eſſe non poteſt a S. Clemente Papa ejus nominis primo. [u] Noſtrum verò FLAVIVM CLEMENTEM & Romæ vitam pro Chriſti fide poſuiſſe certum eſt,

& om-

(k) *L.x.epigr.93.* [l] *Lucæ fol.ann.1668.* (m) *De Doctr. temp. pag.269.* (n) *Pag.960.* (o) *Sive v. Idus Novembris.* (p) *Tillem. tom.2. part.1. pag.226. edit Brux. quamvis alibi* IX. *ſcripſerit, & alii.* (q) *Romæ Natalis SS. Clementis & Simproni.* (r) *Romæ. Natalis S. Clementis Epiſcopi & Martyris.* (ſ) *Pag.269.* (t) *Tom.VII. Junii p.663.* (u) *Vide Soller. Ibid. pag.694.*

& omnino dignum fuiſſe, cujus nomen in albo Sanctorum aſcriberetur, in quod Plautillæ ſororis, & Domitillæ ſororis filiæ nomina relata ſunt; & aſcriptum ſi fuit, ad aliquem anni exeuntis diem aſcribi oportuit; & nullus eſt ſub anni finem dies præter diem Novembris nonum, ad quem probabiliùs dici poſſit FLAVII CLEMENTIS viri Conſularis & Martyris nomen aſcriptum fuiſſe.

Atque hæc pauca quæ de T. FLAVII CLEMENTIS viri Conſularis & Martyris tumulo diſputavi, ſi negem optare me ut viris eruditis ac bonis placeant, mentiar; ſtudium certè & obſequendi voluntatem Eminentiſſimo S. R. E. Cardinali Camerario placituram eſſe confido. Cetera verò quæ paraveram, præſertim de Imperio Gentis FLAVIÆ per annos XXVII. & menſes duos cum dimidio ex nummis aliiſque monumentis veteribus accuratè digeſto, in aliud tempus reſervanda ſunt.

